

cm
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29

Det här verket har digitaliseringen vid Göteborgs universitetsbibliotek.

Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.

All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.

This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



GÖTEBORGS UNIVERSITET

JOHANNIS MESSENII
SCONDIÆ ILLUSTRATÆ
TOMUS XIII.

Sive

CENSURA
DE HISTORIA SCONDIAE,
per alios scripta olim, & nuper Autores;

Horum prodens, & explodens,

plus quam sexcentos errores;

His

Sincerus Regum Scondicorum Catalogus,
& Chronographorum Elenchus, accesserunt.



STOCKHOLMIÆ,

Literis OLAVI ENÆI, Reg. Arch. Antiqu. Typogr.
ANNO MDCCIV.

PROGRAMMA:

Huc Momi, Zoiliue, sciolique;
Huc nasutuli, & arrogans caterva;
Huc argutuli, & erudita turba,
Ex Danis, Sueonumque natione,
Norvegum quoque gente, vel Gothorum;
Et quoscunque juvat magis probare
Tabellas veterum, ac opiniones
Quorundam, Siculis inaniores
Gerris, quam documenta veritatis:
Vivo, si placet, inferatis arma,
Quæ scuto insuperabili retundam;
Parcatis mihi mortuo, nec umbras
Impugnare (ità si moneris) est fas;
Spirans, belligerare non recuso,
En strinxi calamos, adesto sodes;
Absint scommata, contumeliæque,
Hinc fector, nec abibis arte victor.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
MONARCHÆ,

DN. GUSTAVO ADOLPHO,

Sueciæ, Gothiæ, Vandaliæque Regi, Ma-
gno Finlandiæ Principi, Estoniæ Careliæque Duci,
& Ingermanniæ Domino,

Plurimum salvere, nec non florere !



Uantum Historiæ cognitio, REX

*INVICTISSIME sit necessaria Supremis Regnorum
Moderatoribus, & horum Consultoribus, nemo ignorat,
nisi qui Rempublicam non cognorat, & istam Mar-
cii Tullii sententiam lib. 2. de Orat. Historia est te-
stis temporum, Lux veritatis, vita memoriae, Magistra vitæ, & nun-
cia vetustatis. Velut etiam hanc non minus auream Plini lib. 8. Hi-
storiæ utilitas, inquit, magna est, hæc enim nobis felicitatem parti-
cipat, & citra ullum nocumentum prodest homini. Nam quid
pulchrius, quam non quid alii egerint, querere, sed quid
optimè actum sit, nobis proponere ad imitandum? Senio-
rum consilia, quos longa ætas prudentiores efficit, laudantur à juni-
oribus; At hos tanto antecellit Historia, quanto plura exempla com-
pletebit diuturnitas temporis, quam hominis ætas. Prætereà juniores
historica lectio, antiquioribus æquat prudentiam; Adde, quod natu ma-
joribus, rerum experimenta subministrat, privatos viros Imperio di-
gnos efficit; Imperatores, ob immortalem gloriam, ad præclara im-
pellit facinora. Et ut in summa dicam: Omnia rerum series,
quibus hominis felicitas paratur, tribui debet Historiæ; Cum sit custos
eorum, quæ cum virtute sunt acta, testem se præbens malefactis: hæc
ille.*

*Quod cum ita sit, multam sibi Principes historiarum acquirere
solent experientiam; præcipue tamen Patriæ, & hic primam converte-
re curam, ut Chronica Regni habeant quam certissima, probè scientes,
quod sicuti navim gubernare feliciter non possit, qui erroneous sequan-
tur*

tur amussum, vel mappas, artis naviculariae minus absolutas; ita se
cum periculo ad Reipublicæ gubernaculum sedere, si falsis Historiæ se-
ducantur exemplis. Quapropter VESTRA MAJESTAS, clavum Patriæ nacta,
utrumque, non modico cum sui encomio nominis adimplere conatur, &
hujus ego rei munus, benevolo MAJESTATIS VESTRÆ assensu, mihi vendi-
cans, totos hactenus XX. annos ipsius impendi fideliter gnariterque executi-
oni; Cumque interea conatus eò dirigerem, ut quoslibet in historia in-
vestigarem Scondica errores, & hos, cœn scopulos, monerem devitan-
dos, plus quam sexcentos in ea deprehendi. Quos isto sum libello
complexus, unaque illorum confutationem. Atque ut MAJESTAS
VESTRA eosdem non segnibus contemplando oculis, in Svecana sedens
Reipublicæ puppi, velut summus proreta, clavum fortunatius guber-
net, cuperem, ut MAJESTAS VESTRA istum XIII. operum de Scon-
dia meorum, Tomum, in sinu gestaret, nec discingeretur. Quâ etiam
de causâ, ipsum MAJESTATI VESTRÆ potius, quam aliis Scondia
Principibus, humilimè adscribo, dedicoque, non dubitans, quin
MAJESTATI VESTRÆ rationum nomine prefatarum, acceptissimus
sit futurus, & mihi ejus authori, ad pristinam MAJESTATIS VESTRÆ
gratiam, clementiamque, certò certius accessum preparaturus; Quod
etiam submissè admodum flagito, & MAJESTATEM VESTRAM prote-
ctioni simul Divina sedulus commando. Ex castro raptim Cajana-
burgico IX. Nov. Anno MDXXXI.

Sæ. Ræ. M^{is}. Væ.

Devotissimus & fidelissimus
Servitor
JOHANNES MESSENIUS.

Benevolo Lectori Salutem.

MEam tibi exhibeo, Lector Candide, Censuram, de Scondica veterum Historiâ, & tuam de hac vicissim exigo, ita quidem solidam & maturam, ut in mea, non prius atro quicquam signes calculo, quam impenderis tantum opera, ac temporis, ponderationi ejus, quantum ego Chronicorum prius Scondicorum, quod novenio fuit diuturnius. Interim porrò mea simul elatoria opuscula, Poëta obtemperans consilio, ut plus quam Nonum premerentur in annum. Quos inter fuit Censura, in quâ compilavi plus quam Sexcentos Antiquorum, de rebus Scondicis Scriptorum, errores, & itâ solide confutavi, ut peritos Scondicæ Historiæ non formidem Aristarchos; Imperitos & malevolos prorsus contempnens, quod perverso talium hominum judicio, nè Jupiter quidem ipse unquam jatisficerit.

Ceterum, in mundando Scondicæ Chronico, à fœdissimis hujusmodi, frequentissimisque priscorum nævis, vel potius fabulis, mendaciis, imposturis & conjecturis, non minus profecto sudoris ac laboris exantlavi, quam Hercules in purgando Regis Augæ stabulo. Antequam verò Historiæ itâ nostræ oculum & manum operi admovearem, illam sole nitidorem, libruque certiorem Sibyllinis esse arbitrabar; Ac propterea Saxonis, Crantzii, & Johannis Gothi, de Svecia, Daniæ & Norvegia Commentarios, cœn Numinæ venerabam; Quo etiam in errore potius, quam vel honore, plerique Scondiorum adhuc per imprudentiam versantur. Ideoque maledictis dubio procul, me configent, quod idolorum hujusmodi autoritatem nonnihil elevaverim & concilcaverim, donec rectius de mea informati sententiâ, diligentia & innocentia, condignum labori tanto præmium, non pyramidem aut colossum mihi figendo; Sed calumniis supersedendo; fallaces Scondicæ Chronographos deferendo; me amplectendo ac defendendo, ferre non dedignantur.

Porrò, non tantum ulli Scondicorum indignabar scriptorum, quantum Saxonii, & Johanni Magno, præcipue tamen illi, quod huic & reliquis Scondicæ Chronographis, largam nimis hallucinandi præbuisset occasionem; Calculos temporum in Historia sua omittendo; Intersimplices & allegoricas, non distingvendo narrationes veterum; Lotherum & Hotherum, Scondicæ Reges, confundendo; Christi æram na- scientis sub Frothone III. perperam statuendo; Longobardorum ad Regis Saxonis tempora, egressionem referendo; Et Danos nimium suos celebrando; Ast finitimas per invidiam, plus aquo, nationes vituperando. Nec mores ac errores Saxonis, amplexus solum fuit deinceps, quidam Christiernus Petrius, verum & illos fœdioribus cumulavit, strenueque propagavit, prout non obscure liquet, tam ex

B

Chro-

Chronico ipsius Rythmico, quam Libello, de XII. Regni Danici excellentiis, aliisque sparsis ab ipso vernaculè, quondam Tractatibus.

Nocuit tamen in hoc potissimum Scondia Historiis, & ansam præbuit Scriptoribus grandem aberrandi, quod falsas temporum notas, primordio Dania assignaverit, quas partim de suo, partim aliorum, insano fuit cerebro mutuatus. Ast Christierno longè fuit nocentior & impudentior, quidam Achilles Gassarus, utpote qui Regibus Sueciæ, Dania & Norvegia, annorum calculos affinxit, quibus usum demiror, Haraldum Huitfeldum in suâ Historiâ. Simile quid, in Chronologiâ Sveciæ attentavit facinus, noster Jacobus Gilonius; minus tamen quam Gassarus inverecundè. Ceterum Albertus Crantzus propriam citrâ culpam in Historiâ Scondia hallucinatur, seductus à Saxone, contrâ quem propterea, non raro etiam insurgit, & falsitatis ipsum arguit. Quod ipsum facit Huitfeldius, qui licet passim quoque Christierni figmentis succenseat ac recenseat cum indignatione; Tamen in suis Annalibus minus est sincerus quam Crantzus, quod plus justo, sua faveat nationi: Sic incorrupti officium Historici transgrediens.

Similiter non tantum culpabiles sunt, Thiodolphus, Evinderus, Ericus Upsalensis, Laurentius Arosiensis, Erpoldus Lindenbruchius, Olaus & Laurentius Nericiani, horumque Sectatores, quantum Petrus Rosefontanus, Erasmus Lætus, Andreas Vellejus, Arngrimus & Jonas Coldingensis, quemadmodum libello sequenti, & sapienterò alibi demonstravimus. Quibus profectò aequalis est Johannes Gothus, quod amulatione in Saxonem provocatus, nimium quoque blandiatur sua nationi, plurimaque comminiscatur, ut amulum adæquet, vel potius superet. Quapropter non tam gloria nostra, quam perniciosa, ipsius merito censenda imposterum est Historia, nisi falsitate magis quam veritate delectentur. Enim verò ut ex infinitis propemodum in ea figmentis, pauca duntaxat & præcipua, delibem, qua in primis commemorat, de Magogo & hujus filiis, sicut etiam de sequentibus Sueciæ, Gothiæque Regibus, atque Idolorum cultibus, plus falsi habent quam veri: Deinde perperam ex Berico & Erico, binos facit Reges, fingens sub isto Vitas, seu Danos hinc progressos esse, licet unus solum fuerit, variato saltē non nihil vocabulo, appellatus, qui Gothos ex Scondiâ produxerat in Ulmerugiam. Nec minus de Humulpho, Humelo, Dano & Gothila, novemque aliis Regibus, quos inter Attislum II. & Gestiblindum, falso collocat, motus quadam Crantzii querelâ, haud necessaria, fabulatur.

Pari etiam modo, grandem facit injuriam historicæ veritati, quod Christum, regnante in Svecia Erico Diserto, in Iudea natum esse afferat; Reges istud subsequentes gratiæ tempus, cum Saxone præponat;

ponat; Philmerum pro Vodeno statuat; Gaudericum Svecia obtrudat, qui Gothis alibi solum dominatus est; Ex Nordiano & Nearco, geminos faciat Reges, licet unus, idemque fuerit, Freijerum seu Frottonem primum, cum secundo turpiter commisceat; Et quoniam ille fuerit Ingo dictus, cognomine tertium addat; Quod Ostenum & Urbarum, non competenti ponat loco; Attisum III. de suo Gothus producat cerebro, velut Jupiter Minervam. Præterea quod secus de Alvero, Gyrita, Amundo, & sequentibus Svecia Monarchis usque Ingemarum, quam lex poscit Historia scribat. Verum tamen crimen falsi gravius multo committit, quod inter Ingemarum & Brautemundum ipsius filium, XX. constituat Svecia Reges, ex Utopia, vel concavo luna, huc per illum translatos.

Atqui quos habet reliqua Svecia Historia errores, Johanni & aliis Patriæ scriptoribus sunt fermè communes. Omnes quippe nostri Chronographi minus fideliter Christianæ huc propagationem Religionis commemorant; Ansgarii, Sigfridi, Adalvardi, Eschilli & Henrici Svecicorum adventui Apostolorum, non rectè tempus assignant. Plus tamen in Regum labuntur historia, cum Amundum Slemma, cum Amundo & Amundo Anno commisceant; Illumque post Olaum statuant Scotkonung, qui prius regnaverit; Quod Ericus Slemme successor suerit Victoriosus, Frugifer & Lustratus, cognomentis dictus, binos ex illo Reges comminiscantur; Olaum cum filiis Anundo Jacobo, & Amundo confundant. Gestæ etiam permisceant, Erici V. & Stenilli I. quam præterea injuriam, comitantibus octo Regibus, per inscitiam irrogant. Nec ab eadem sunt liberi, Magnus, Ragvaldus, Svercherus, S. Ericus & Carolus, Sveonum Reges glorioſi. Immò, quantum similiter in succendentium historia Regum, Historiographi hæc nostri aberraverint, qui meos cum illorum paulisper contulerit Commentariis, facile animadvertiset, idemque lubens confitebitur innumeræ propemodum vitia, me in Chronicō Sveonum correxisse, ac propterea singularem à Patria gratiam esse promeritum.

Quod ipsum quoque beneficium exhibui Daniae ac Norvegia, sicut is deprahendet, qui aliquantulum in utraque est versatus historia, & meam fuerit non segniter scrutatus; Ideoque à prudentioribus Danorum Norvegorumque non modicam quoque gratitudinem exspecto. Verum si quis horum, vel aliorum admiretur, undè tantam ego veritatem cognoverim, cum plerique veterum in Scandia Scriptorum scateant erroribus, tali volo responsum sciolo, quod varios conferendo per XX. annos historicos; Priscos nempè cum Neotericis, impressos cum manuscriptis, indigenas cum alienigenis; velut etiam probatoris fidei sequendo authores frequentius, quales sunt Berosus & M. Adamus, ac quoslibet aliorum scrutando simul, veritatem ex his, non secus elicuerim,

quām apis sēdula ex flosculo mel eodem colligit, quo vesp̄a sugit venenum.

Ac favis quidem Tomos XX. ceu quadam alvearia complevi, sed virus seu potius vitia scriptorum reperta passim, in sequentem redegi codicem, antidoto simul apposito, videlicet errorum confutatione quorumlibet.

Denique ad hujus calcem operis, certos Regum Catalogos Scondicorum disposui, ut in mea Chronologia, tanquam certissimo, plenissimoque Historiae penū Scondicæ, nihil merito amplius possis, Lector, desiderare, vel de aliquâ re ullatenus dubitare. Atque si meo tuoque sit voto ita satisfactum, Domino scientiæ omnis Largitori, mecum gratias persolpe; Opus præsens vigilissime volve, & quam rectissimè vale.

CEN-



CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ,

Quæ plus quam DC. breviter comprehensa Notis,
fallaces tamen veterum quam recentium assertiones Scriptorum infirmat,
& veraces præcedentibus collectas voluminibus pas-
sim confirmat.

Ota I. Regio ista Boreæ vastis-
sima, quæ nobis Patria est, varium apud
Scriptores obtinuit nomen, prout Tomi' primi in-
dicat Programma, quod in primis obiter ventilabi-
mus. Nam *Scanzia* & *Scandinavia*, non paucis ap-
pellatur.

Nota II. Istud interpretans vocabulum, quidam Jonas Coldingen-
sis in Daniæ novâ Descriptione pag. 69. contendit, ideo Scandinaviam
esse nuncupatam, quod naves in eâ scanderent, Oceanum pertransitu-
ri, quasi vox esset Latina, *Scon* sive *Schioen*, & non potius peregrina,
significans amænum.

Nota III. Non patui Chronographorum secuti Plinium libro IV.
capite XIII. *Basiliam* & *Baltiam*, unde Balticum mare, ipsam nuncuparunt.

Nota IV. *Vargion* multis vocatam, refert Johannes Gothus in
prolegomenis suæ historiæ, hoc est insulam Luporum, quod horum ibi
prægrandis esset copia.

Nota V. *Normanniam*, Scriptores occidentalium populorum, & in-
colas vocarunt Normannos, quod arctoam orbis plagam inhabitarent,
ut fideles sunt nobis testes, M. Adamus pag. 136. & Albertus Crantzius
lib. 4. D. c. 14.

Nota VI. Olim quoque *Scythia* fuit appellata, velut non modica
Scythiae portio Europææ, & quod ipsam allueret mare, *Scythicum*, ita M.
Adamus pag. 39. ac Ericus Upsalensis, pag. 10. asseverant. Hinc nostri ve-
tustiores libri, eam subinde *Scytiot*, & cum non nullâ variatione, *Svi-
diot*, hoc est Scytharum possessionem nominasse depræhenduntur. Quod
tamen vocabulum, non à *Scytha*, Herculis filio, ut Berosus perhibet,
sed à sagittandi peritiâ, quâ, præ aliis nationibus, nostrates olim, florebant,
certò contraxerunt, cum *Scytha*, nostro significet idiomate, jaculato-
rem oppidò peritum.

Nota VII. Graviter in suo, M. Christiernus Petri, lapsus est propteræ Chronico Daniæ rhythmico, fol. 3. pro Scythia falso inscribens Sathiam.

Nota VIII. *Thylen* antiquitus præterea dictam, liquet ex Procopii Cæsariensis, libro II. De bellis Gothorum, pag. 92. ubi sic eam describit, ut non aliam intellexisse regionem, indè constet manifestissimè. Quemadmodum præter alias, Franciscus Irenicus, Beatus Rhenanus, in præfatione ad Procopium; Erpoldus Linbenbruchius, in Chronico M. Adami, & Johannes Gothus, lib. 8. cap. 36. probè animadverterunt.

Nota IX. Veteres tamen alii Scriptores, mentionem facientes insulæ Thyles, credibilius est Islandiam intellexisse, quod huic magis competit illorum sententia; Et ipsemet Saxo Danorum historicus in *Præf.* velut etiam M. Adamus, pag. 149. Johannes Bodinus, pag. 178. Zieglerus, & alii numero plurimi, Thylen vocent Islandiam. Neque rationes Arngrimi Jonæ, lib. 1. c. 1. huic adversantes sententiæ, in Chronico Islandiæ, quidquam evincunt, cum illarum sit potissima, pag. 13. quod Islandia nono post Christum seculo, sit primum inventa; Et Thyles, faciant mentionem Scriptores, antè Salvatoris natalem in mundo florentes, quam falsissimam esse, deinceps sumus demonstraturi.

Nota X. nomine *Hyperboreorum*, Suecos & Norvegos esse intelligendos, non quod supra Boreæ flatum constituti, sed juxta Diodorum, ventis Boreæ crebrius sint expositi, sic appellati, luce constat manifestus ex iis quæ Pomponius Mela, exceptis fabulosis, scripsit de Hyperboreis. Quod ipsum testantur Plinius lib. 4. cap. 12. M. Adamus in Topographia Sueciæ, pag. 136. Abbas Urspergenis pag. 91. & Jacobus Zieglerus, pag. 474.

Nota XI. Vulgarius porrò, & communius dicitur, præfata Regio Septentrionalis, *Scondæ*, *Sconægia*, & nomine magis Latinæ linguæ accommodato, *Scondia*, id est, amæna insula; Hodie tamen ab incolis & accolis, sola vocatur *Sconia*, quæ ditio Scondiæ, adventantibus ex mari occiduo, prima occurrit.

Nota XII. Scondiam Ptolomæus cum sectatoribus, minus rectè insulam vocavit, cum certâ constet scientiâ, experientiâque esse peninsulam.

Nota XIII. Jacobus Zieglerus in Scondiæ descriptione, pag. 478. in tria illam Regna dividit, nempè Sueciam, Gothiam & Norvegiæ, omisssâ Daniâ, quæ tamen illis adscribenda est, quod non parvam Scondiæ continentis partem, videlicet Scaniam, Hallandiam, Blechingiamque, Gothicæ quondam regno subductas, possideat.

Nota XIV. Ad eandem similiter pertinent Islandia, Gronlandia, & Finlandia, hæcque nomen indè sortita, quod à Venedis Slavorum populis inhabitaretur, non quasi hosticum Sueonibus olim fuisset, prout quidam antiquitatis minus gnari, vocabulum falso interpretantur.

Nota XV. Idem præterea Zieglerus, in procœmio citati operis, Crantzio oppositi, affirmat pag. 473. Scondiam in particularibus Tabulis Geographicis, minus verò conformiter, appellari Scondenmarchiam & Scondianam. Quas nihilominus, siuumque delirum secutus cerebrum Christiernus Petri, quodam suo libello, de XII. Daniæ ut vocat, excellentiis, totam Scondiam non erubuit Danianam vocare insulam, licet precario solum jure, non hæreditario, ipsamet gauderet Dania Scondiæ vocabulo. Verum de his alibi copiosius.

Nota XVI. Quoad situm Scondiæ, figuram & magnitudinem, videlicet quod sit peninsula incomptæ magnitudinis, officina gentium & vagi-

SCONDIAE ILLUSTRATÆ TOMUS XIII. 3

vagina nationum, parsque magnæ Germaniæ, omnes fermè Geographi, tam Græci quam Latini, consentiunt.

Nota XVII. Sed quod illorum nonnulli ante Cæsarum tempora, Scondiam fuisse incognitam propemodum, asseverent, injuriam faciunt clarissimæ nationi; Cum multo prius tempore, sub vocabulo Thylensi & Hyperboreo, aliisque fuerit nominibus celeberrima.

Nota XVIII. Quis sanæ mentis homo crederet, illam tam diu provinciam, aliis terrarum inhabitatoribus ignotam extitisse, quæ ab anno post Diluvium, DCCCLXXV. tot potentissimos, frequentissimosque emisisset in transmarinas regiones, exercitus, multis posteà seculis mundo propemodum toti, dominantes.

Nota XIX. Verum quidem est, quod veterum non pauci Scriptorum, nullâ factâ primævæ, de quâ tot gentes erupissent, regionis mentione, eam solum designent provinciam, ex quâ immediate forent progressæ. Non tamen credibile, illis penitus ignotam fuisse, ex quâ essent nationes hujusmodi ditione orbis primum egressæ, cum id palam hæ confiterentur sermone, moribus, huc, & illuc, frequenter commean-do, subsidia hinc crebra poscendo, & ab imperiis Regum Scondicorum, ut testatur Alphonsus Carthagena, cap. 6. dependendo.

Nota XX. Postquam verò perpetuus ille fluxus gentium ex Scondiâ cessaret, cepit notitia prior, de Patria illarum originali, non-nihil in oblivionem venire. Quam tamen Historia Jornandis Gothi, ex tenebris producta, studio Ænææ Sylvii, pristinæ restituit luci.

Nota XXI. Grandis servet discordia inter ipsosmet Scondiæ Historicos, quando post Diluvium, in Scondiam primi accesserint coloni? Quo genitore fati? Quo Ductore usi? Quâ religione delectati? Quandò hinc emiserint colonias, & aliunde acceperint? Quot? quos? quo tempore? numero & successione habuerint Reges? Quid tales domi, forisque hactenus gesserint?

Nota XXII. Causas hujus discordiæ potissimas invenio, quod Scondii fortiter agere magis, quam docte scribere assueti, sua negligentius gesta, literis mandarint, contentique solum, quod ea tenore quodam allegorico & hyperbolico, in canticum redacta, posteris cantillanda, aut rupibus breviter nimium inarata, iisdem celebranda, transmisissent.

Nota XXIII. In ea proinde primi Scondiæ scriptores incidentes, velut ænigmata & logogryphos, potius oedipos, quam historicos, diu egerunt; Imò quidam illorum, pluribus rem fabulis obscurarunt, ita Sphingem & Davum potius agentes quam Oedipum.

Nota XXIV. Reliquis non parum molestiæ id simul exhibuit, quod hujusmodi majorum narratio temporum notis careret plerumque; Et licet subinde per hyemes ac æstates, foret distincta more poëtico, tamen ignorantes posteri æram, seu principium istius supputationis, certos rebus veterum gestis, annos non potuerunt assignare.

Nota XXV. Dum quisque propterea suas in hoc negotio sequeretur conjecturas, & in varias laberetur opiniones, largam præbet ansam præfatae controversiæ.

Nota XXVI. Horum numero sunt illi Authores XXIII. quos Chronicon enumerat S. Olai, in libello retorsionis contra Petrum Rosefontanum, pag. 14. etiam citatos; excepto tamen Thiodolpho, qui diligentia mediocri, non paucorum Sueciæ & Norvegiæ historiam contexuit Regum.

Nota XXVII. A vero tamen plurimum hac in re aberravit, quod fol. 4. genus Haraldi Pulchricomi, in Deos serie non interpolata relatu-

4 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

rus, Frotone secundum Sueciæ regem, pro Frotone primo seu Freijero idolo, Genearcham statuerit. Quo etiam modo alii sunt lapsi Scriptores veterum, quando Principum suorum genealogias ad Othinum pertexere sunt conati, pro ut alibi porro sum declaraturus.

Nota XXVIII. Quemadmodum propterea isti Principibus, divinitatem ita quandam affectantibus, adulando, historiam Scondiæ corruperunt, ita non minus alii veteres & neotherici scriptores, Patriæ plus æquo suæ blandiendo & favendo, eandem mendaciis obscurarunt. Cujus non immerito accusantur criminis, quoad Historiam Daniæ, Saxo Grammaticus, & M. Christiernus Petrius; Ast quoad Sueticam, Johannes Gothus, & hujus illorumque sectatores conjurati, quibus cum mihi certamen postea futurum.

Nota XXIX. Saxo tamen velut Senior, utrique præbuit occasionem errandi lib. 5. pag. 88. natalem Christi sub Frotone III. Danorum rege afferendo contigisse, & Longobardos sub Snione hinc progressos, lib. 8. p. 144. perperam memorando. Nam in primis Albertus Crantzius, Saxonis individuus fermè Achates, lib. 4. cap. I. Dan. & lib. 5. cap. I. Suec. hac seductus ærâ, vidensque tanto seculorum intervallo, numerum non respondere Principum interea regnantium in Suecia, Dania & Norvegia, plurimas in Catalogo Regum cepit, frustra personas desiderare.

Nota XXX Tali Johannes Gothus quarelâ motus Crantzii, lib. 4. & 8. ut hujusmodi suppleret in historia defectum Sueticâ, non paucos in ea reges comminiscitur.

Nota XXXI. Non minus is, & quos sequitur, authores quidem obscuri, falluntur in designandis Scondiæ primordiis, qui potissimum indè seducti sunt, quod cum non ignorarent Scondiam Scythiaæ partem esse non modicam, & simul ex peregrinis inteligerent historicis, in Scythia post diluvium, primam generis humani restorationem fuisse inchoatam, ex Magogique Japheto nati progenie Scythes esse propagatos, omnia quæ Scythis tribuerentur Asiaticis, ea pari tribuerent illi conditione, nostris Europæis, hinc perperam afferendo mox ab eluvione orbis, Scondiam primos accepisse colonos; Ipsos à Magogo, vel hujus filio, seu posterorum uno, Godo, alias Gogo, aut Getaro huc traductos, comminiscendo, per consequentiam minus legitimam. Quod Gothia primos naœta esset colonos ante orbis divisionem, quando Saruch Israelitarum erat moderator, in Daniam miserit coloniam, & hæc primum acceperit regem Dan, tempore Danielis, vel Gedeonis, seu Tholæ aut Davidis.

Nota XXXII. Primus hujus propagator figmenti, quodam in libello reperti Saxonice conscripto, fuit M. Christiernus Petri Canonicus Lundensis, fol. 2. qui hoc nixus fundamento, molem deinceps non minorem, quam esset turris quondam Babylonica, ex novis superstruit paradoxis, velut ex ipsius liquet Chronico, & quodam tractatu, quem Anno MDXXVII. de XII. suæ conscripsit Daniæ excellentiis.

Nota XXXIII. Nec his ille contentus, Saxonis historiam ex tenebris productam, & in multis corruptam locis, in patriæ gratiam, typis divulgavit Parisiensibus. Quando etiam fabulas de Theodorico Veronensi, Rolando, & Ulgero Dansche, in Scondicam translatas lingam, tanquam synceras Scondiotis obtrusit historias.

Nota XXXIV. Saxonis & Christierni figmentis, deliramentisque, quibus Daniam illustrare, vel potius obscurare nitebantur, Johannes

SCONDIAE ILLUSTRATÆ TOMUS XIII.

5

nes Gothus provocatus, ut ex fundamento eodem, ac cæmento, perennem honoris colossum, seu pyramidem, Sueciæ pariter suscitaret, operi se magnis conatibus accinxit, indeque majori ex parte, suæ primordia confinxit historiæ.

Nota XXXV. Ignoscet mihi Lector, quod acerbius cum his tribus Scondicæ historiæ falsariis quandoque procedam. Etenim licet illos, velut numina sim antea veneratus, & præcipue Gothum, ceu patriæ scriptorem celeberrimum, huncque quondam in meis passim opusculis imitatus, tamen cum me, aliosque Scondiorum, tanto tempore ab iis seductos, probe jam cognoverim, non possum non ipsis indignari, & veritatis causæ patrocinari, Scondiotasque meos, qui mendaciis non delectantur, hortari, ut imposterum hujusmodi detestentur figmenta.

Nota XXXVI. Porrò istorum Collega falsiorum, non impiger est quidam Jacobus Gislonius, qui Johannis historiam longè magis corrupit, cuique Regum Suetorum, conflictos annorum calculos apponendo.

Nota XXXVII. Idem falsi crimen in Suetica, Danica & Norvegica, impudentissime prius commiserat, quidam Germanus, nomine Achilles Gassarus; Cujus tamen Haraldus Huitfeldius *Tom. I.* in suâ utitur historiâ calculis.

Nota XXXVIII. Certa & continua Regum in Scondiâ, qui ante Salvatoris adventum in ea sunt dominati, successio, tradi non potest, idque propter crebras gentium emigrationes & immigrations, domi contentiones, dimicationes, & interneciones, quibus se Principes Scondiæ quotannis propetodium afflixerunt.

Nota XXXIX. Gravissimum passa detrimentum historia Scondiæ, quandò Christianismus, in ea Gentilismo, & Lutheranismus multis post seculis Catholicismo, successerunt. Nam dum hanc & illam Scondii doctrinam eradicare funditus conarentur, documenta maximi momenti historica, simul homines rerum ignari talium, flammis tradiderunt. Nec parum huic nocuit etiam causæ, literarum commutatio Runicarum cum Romanis.

Nota XL. Proinde cum talis sit Status Scondicæ historiæ, posset quis demirari & sciscitari, unde propterea ego meos collegerim Commentarios? Cui responsum volo, quod conferendo unum cum altero, scriptorem indigenam cum alienigena; inde probabiliora, velut apis, feligendo; allegoricas à propriis, caute distinguendo, narrationes; sepositis prorsus affectibus, rem veram à falsâ discernendo, & minus suspectæ fidei, sequendo scriptores, velut Gallus Æsopi Gallinaceus, ex veterum sterquilino, Authorum prænobiles collegerim gemmas, inque præfatos redegerim Commentarios. Atque ut luculentius & evidentius, meam tibi fidem probarem, Lector antiquitatis, veritatisque Studiose, meos tecum paulisper Commentarios percurrendo, & aliorum simul vellicatim examinando, in his paradoxa quælibet; in illis autem Orthodoxa, fideliter tibi demonstrabo, non habito amici vel inimici, respectu; Verum solius duntaxat veritatis; Siquidem, ut gestorum, ita & scriptorum coram extremo mundi Judice, rigidissimam ego, aliique hominum, rationem sumus reddituri.

Nota XLI. Quæ in primis scribo de Noa, cum familia in Scythia montibus Araxæ liberato, ea testimoniiis comprobantur Sacrae Scripturæ, & profanæ, nimirum Berosi Chaldæi, Hieronymi Ægyptii, Massæ, Damasceni, ab Archiloco citati, Trogi Pompæi, & hujus abbrevi-

atoris, Justini, Isidori, Catonisque Fragmento primo & secundo.
Nota XLII. Idem propterea Scriptores, principatum originis, meritò Scythis tribuunt Asianis, seu Armeniis, non Europæis.

Nota XLIII. Quod Noa Anno post diluvium C. orbem tribus diviserit ità filiis, testantur Philo de gentium multiplicatione, & Di- odorus Siculus libro IV.

Nota XLIV. Ex Japheto, XV. ortas esse nationes, asseverat Matthæus Westmonasteriensis, pag. 2.

Nota XLV. Harum numero Scythes esse collocandos Europæos, Russos, Lithuanos, Polonos, & Scondios, velut Magogo, Japheti filio, propagatos, testes sunt mihi locupletissimi fidelissimique Josephus, lib. 1. c. 7. Hermannus Schedels, fol. 18. Jacobus Bergomensis, Bartholomæus Anglicus, & Petrus Trecensis, pag. 182. aliique historicorum plurimi.

Nota XLVI. Johannes Gothus lib. 1. c. 4. falso memorat, Magogum Anno post inundationem, LXXXVIII. Scondicas cum progenie ingressum regiones. Siquidem Noa orbem filiis & nepotibus, non adhuc divisisset, sicut neque confusio linguarum contigisset, quæ tamen necessario præcesserunt, alias Hebraicè Scondii loquerentur.

Nota XLVII. Magogum Cœlosyriæ dominatum, non Scondiæ, sole clarius meridiano, liquet ex Beroſo. lib. 5. Nec duo fuerunt Magogi, neque idem throno Scondiæ filiis commisso, remeavit denique Babyloniam, licet utrumque Gothus comminiscatur, lib. 1. c. 4. nullius testimoni⁹ scriptoris product⁹.

Nota XLVIII. Idem Magogo, lib. 1. c. 5. V. assignat filios, Suenonem, Godum seu Getarem, Ubonem, German, & Thorum, pari quidem veritate. Nam German est ille quem Berossus lib. 5. vocat Germion, & Tuisconis abnepotem, qui Thvisconum factus rex, novum illis vocabulum addidit, Germanos posteà nuncupans.

Nota XLIX. Sueno, cum Suevo confunditur, quod pronepos fuerit Germionis, non Magogi filius, nec Scondiæ, verum Germaniæ Dominator, vel utriusque simul.

Nota L. Neque Goths patrocinatur sententiæ, quod *Suensche*, hoc est, Sueones vulgariter à Suenone videantur nostrates appellati, cum paucis antè seculis, isto fuerint Sueci nomine primum compellati, prout ex priscis liquet codicibus, & nos paulò antè probavimus.

Nota LI. Indè pariter Laurentius Nericius confutatur, qui Sueciam à sylvis dictam perhibet ustulatis, quod ipsam Germani vocent Sueden, & Romani quidam minus recte Suediam, & hoc Scondiis vocabulum, adurere significet.

Nota LII. Magis tamen illi hallucinantur, qui teste Erico Upsalensi, pag. II. *Sueriche*, quasi duo regna Suecorum & Gothorum, Sueciam volunt appellatam. Sed redeamus unde sumus digressi.

Nota LIII. Getar, seu Geta, Gubernator, & nominator quidem fuit Gothorum, verum non Magogo satus parente, ut deinceps probandum est.

Nota LIV. Thorus multis post seculis in rerum fuit natura, sicuti etiam demonstrabitur ubi eò pertigerimus.

Nota LV. Ubbo an extiterit unquam, ignoratur; Hoc tamen certò certius constat, quod ab ipso Upsalia nec nominata, nec sit fundata. Hanc quippe circa natalem Christi exorsus fuit I. Rex Freijerus, prout tum temporis referemus, ità nominatam, quod forum esset Upplandiæ primarium, non Ubbonis aula, vel quod sita foret propè ripam Salæ

Salæ fluminis. Etenim Upsala, Scondicum est vocabulum, non Latinum, & fluvius qui præterlabitur non hujusmodi gaudet nomine, quod locum designet mercaturæ deputatum exercendæ, non alveum fluminis traducendi.

Nota LVI. Hinc liquet, quam vera sit reliqua Gothi assertio, videlicet quod antè tempora Abrahæ, Upsalia sumpserit exordium, in eaque floruerit templum & cultus Idolorum, quæ multis post seculis illic consurgerent, quemadmodum operis docebit progressus.

Nota LVII. Siggonem pari fide, mortuo subrogat Ubboni, quem de suo, Sigtuniam, nomine condidisse somniat, utpotè quam Othinus seculo nati Salvatoris, primum construxit, Sigtur tunc appellatam, & posteà Sigtun.

Nota LVIII. In Regno Scondiaæ Gothicæ, Ericum Getaro substituit Johannes Magnus, illoque regnante ac mandante, afferit ex Gothiâ, propinquis missos insulis colonos, tempore Saruci. Sed fallitur, cum Ericus idem sit, cum eo, quem exteri vocant Authores, Bericum; Et confundit propterea egressionem Vitorum, cum Gothorum, quæ postea contigisset. Nam vetus Chronicon, quod Gothus est secutus, in dicti historia Erici *fol. 2.* provocat ad testimonium Jordanis, quem male vocat Ardanum; constat verò illum de Gothis in Gotlandiam & Ulmerugiam, non Vitaslettiam transmissis, solum esse intelligendum.

Nota LIX. Nec Vitorum ex Gothiâ contigit egressio, tempore Saruci, ast prima Scytharum in Scondiam progressio, quod inter alios, etiam Haraldus Huitfeldius, *Tom. 1. p. 2.* prudenter animadvertisit, porro deinceps confirmandum.

Nota LX. Hinc pariter manifestum evadit, quam vitiosus sit Annorum calculus, quem præfatis Gothus suis apposuit Regibus, falso asseverans, *lib. 1.* Ubonem sceptro Sueciæ, Anno secundum aquas, CXLVI. Siggonem CCCXLVIII. Ericum Gothiæ CCCLVII. potitos, & hunc CDXXV. morte sublatum fuisse.

Nota LXI. Post obitum Erici, septem ponit in contextu Reges, & octo ad marginem, quos affirmat usque Bericum, per annos ferme CD. Gothis esse dominatos; Suecis intreà Judicum imperio auseulantibus. Verum & illos esse confictos, indè liquidò appetet, quod confusissima hæc mundi labentis tempora, non tantam in regimine successionem Gothicæ permiserint; Et quantum ad Othini attinet personam, quem ex illis unum statuit Gothus, multis ab hinc seculis, ex Asia in Scondiam penetraverit.

Nota LXII. Neque tamen inferior, Reges hoc tempore nostratis fuisse, cum Isidorus, Gothicum vocet regnum, antiquissimum, utpotè, quod Reges habuissent, antè Herculis tempora. Porro Vincentius, in speculo, Lucas Tudensis, & Rodericus Sancius *cap. 9.* asseverant, Herculem Gothis, tempore Gedeonis, dominatum, intelligentes Alemannum, procul dubio, Tuisconis progeniem, & Theutanis filium. Ideoque in eam propendo sententiam, quod reliqui etiam Tuisconis posteri, & minores, nempe Mannus filius, Ingevon nepos, Istevon properepos, Germion abnepos, Marsus atnepos, Gambrivius trinepos; Sicut quoque hujus filii fuerunt, Teutanes & Hercules, aliquod, jure majorum freti, dominium sibi vendicarint & usurparint in Scondiâ, simul & Germania.

Nota LXIII. Olaus Gothus, Johannis frater, afferit *lib. 5. cap. 1.* Gothis Reges fuisse prius quam Danis, MCCCLXX, annis; sed ipso relecto, Johannem repetamus.

Nota LXV. Quæ memorat ille lib. i. cap. 10. de Scondicorum idolatriâ, secus etiam se habent. Nam in primis, non post CD. annum, sed CCCVI, mortuo Tuiscone & Geta, vanis se numinum cultibus Scondii mancipare cuperunt.

Nota LXV. Illlos quos Gothus assignat, non modò sed multa post secula, coluerunt Deos, velut infra demonstrabo.

Nota LXVI. Perperam confundit Freijerum, seu Fricconem, cum Frigga, hancque falsis depingit lineamentis, *Ibid. c. 9.* Nec ab ea, sed illo, dies Veneris, Scondice nominatus, Freijdag, non Friggedag, quod sequentes etiam convincent paginæ.

Nota LXVII. Nec quæ habuerunt modo numina Scondij, ea in fano coluerunt Upsalensi, prout idem comminiscitur; Enimvero Saxones & Scondii, Einhardo & Adamo *pag. 8* testibus, Deos hoc tempore fanis includere, permagnum nefas duxerunt; Præterea que constat certissimis veterum monumentis, templum Upsaliæ, ipso Christi nascentis seculo, fuisse constructum, non prius.

Nota LXVIII. Quam proinde vera sit Olai Gothi simul assertio, qui *lib. 3. c. 6* fanum prohibet Upsalense, Nini fabricatum esse tempore, hinc non obscure liquet.

Nota LXIX. Cæterum fædissimus ille, de Scondiorum & Byzantinorum, communione Numinum, error, non tantum Johanni Gothe, *lib. 1. c. 11.* quantum Christierno Petri, qui falsatum nefarie Saxonis exemplar, typis divulgavit Parisiensibus, imputandus est. Sed Albertus Crantzius, manuscriptum forte prius secutus, nullam in suis Commentariis, facit mentionem, hujusmodi communionis, quam non omisisset, sicut vir Scondicæ studiosissimus antiquitatis, si eam in Saxone invenisset.

Nota LXX. Siquidem invidens Christiernus Sueonibus, quod scriberet Saxo præcipuum floruisse Deorum Upsaliæ cultum, loco Upsaliæ, imposuit Byzantium; Quam ipsemet contextus indicat simul fraudem, libro III. pagina XL. quod mox subdatur Ollerum Byzantio pulsum, fugisse in Sueciam, & hic à Danis esse peremptum; licet manuscriptus habeat textus, illum Upsaliæ profugisse in Daniam, ibique trucidatum fuisse.

Nota LXXI. Idem tamen dolus pagina 12. & 41. magis proditur, ubi fatetur Saxo, Ollerum, qui & Othinus fuit nominatus, in Fiorniam secessisse; Sicut etiam quod ibidem afferat, Othinum Upsaliæ commoratum esse, & nihilominus subdat, vocabulis fraudulenter permutatis, quod Reges Scondiæ, simulacrum ipsius auro complexi, mirent venerabundi Byzantium.

Nota LXXII. Alibi similiter contrarius invenitur contextus, & potissimum pagina 38. 94. atque 124. quibus describit locis, Deos & sacrificia Upsalenium. Immò quod nulla fuerit omnino Diis Byzantinorum cum Scondiorum communio Numinibus, ex ipsis liquet manifestius Byzantii Historicis; Georgio Gedreno, Michaële Glyza, & Johanne Zonara. Sed valeat malevolus ille falsarius.

Nota LXXIII. Hactenus mihi fuit colluctatio de Scondiorum primordiis, cum Johanne Gothe; Nunc in arenam cum aliis hac super controversia descendam scriptoribus, & in primis quidem cum Anonymo quodam, qui falso affirmat Japhetō binos fuisse filios, Magogum, & Gogum, alludens ad illud Prophetæ vaticinium de Gog & Magog, illiusque de progenie Godum descendisse, & primos in Scondiam adduxisse colonos. Deinde memorat, eadem de Vitorum origine, Danique regimine, quæ Christiernus Petri mox producendus, & cum isto confutandus.

SCONDIAE ILLUSTRATÆ TOMUS XIII.

9

Nota LXXIV. Alius pariter *anonymus* Saxonice impressus, *fol. 2.* fateatur testimonio Papiæ, Gothos de Gog Japheti filio procreatos, & ab his Vitos, juxta Isidorum, ipsosque tempore Saruci, Vitallettiam occupasse; Atqui cum David in Palestina regnaret, Danum Vitaslettiæ, videlicet Selandiæ, Falstriæ, ac Lalandiæ dominatum fuisse. Et quod tum Cimbri, seu Juthi, Saxonum infestati excursionibus, propugnaculum erexerint, Koverch, limitaneum, & Dan ab iis vocatus in subsidium, confluxerit cum Germanis, victorque factus, à Juthis Rex designatus fuerit, & horum auxilio, reliquas Vitaslettiæ consequitus insulas, regnum denominaverit Daniam. Hæc ille, quæ quantum habeant veritatis, ex sequentibus fiet manifestum.

Nota LXXV. Idem narrat quidam Petrus Trecensis in suo *Novitiorum tirocinio*, seu *Historia mundi pervetusta*. pag. 375. In hoc tamen discrepans, quod Danum ex Sueciâ, ad regimen Selandiæ vocatum referat, ab eoque Vitos, potius, quam à Danais, nomen sortitos Danicum existimet. Cujus censura opinionis, etiam à sequentibus dependet paginis.

Nota LXXVI. Hos secutus videtur *Auctores*, Petrus Rosefontanus, qui suo contra Johannem Gothum, libello pag. 57. ad tempora etiam Davidis refert, Dani regimen; Quam verò conformiter, postea discutiemus.

Nota LXXVII. Prosum quoque *Chronicon minus Sueciæ*, Danum facit Davidi synchronum, & filium Urbari, non Humeli, Regum Gothicorum; Quo cum rhythmicum consentit, ast neûtrum cum veritate.

Nota LXXVIII. Quidam Hieronymus Henninges, Tomo II. sui operis *Genealogici*, perperam quoque Dani assignat regimini, annum Mundi MMDCLVI, porro asserens, illum anno regni XX. & Mundi lalentis MMDCLXXVI, morte vitam commutasse.

Nota LXXIX. Idem præterea narrat Henninges, pag. CXCV. Quod Angul, ad regiminis consortium admitti cupiens, fratris ideo fuerit insidiis appetitus, hasque declinaturus, profugerit in Jutiam, & huic nomen indiderit, sicut etiam Haraldo Saxonum Principi Eglam elocaverit filiam.

Nota LXXX. Non paucis verò antè seculis, Henninges memorat Juthorem Saxonie Ducem, Danis infestum fuisse, contestans, quod Anno conditi orbis, MIIDCCXX. Cum Dania nimium tyrannide cuiusdam sui regis dicti Suenonis, affligeretur, ipsam invaserit, & tamen ab incolis repulsus in Jutiam, recesserit, huicque nomen indiderit.

Nota LXXXI. Consentit Henningi, quidam Petrus Albinus, in suis, quod de Jutore scripsit, versibus, operi *Genealogico insertis* Gerner, pag. 254. nisi quod à Sueone, Jutos fuisse pressos, asseveret; Idque credibilius, vel certè à Gothis, cum Dani nullum habuerint, illâ tempestate, regem.

Nota LXXXII. Henningi tamen in omnibus, quoad Jutorem, ad stipulatur tabula quædam ingens *Genealogica Regum Danicorum, & Principum Holsaticorum*, Anno MDCL, per Franciscum Algermannum in Volfenbytel typis divulgata.

Nota LXXXIII. Plerique Daniæ Historici, non meminerunt Jutoris, quod non ab eo, sed Gothis contendant Jutos appellatos. Sed cum tota reclamet antiquitas, illis nequeo suffragari; Non tamen inficians Jutos origine Gothos esse, quod ipsem etiam indicat sermo, utrique communis nationi.

10 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

Nota LXXXIV. Chronographus Frisonum, Sigfridus Petrius, Leovardiensis, Danum regnasse censet anno priusquam Christus nasceretur, CCCVIII. Verum Achilles Gassarus DC. Tanta est scriptorum discordia super Dani regimine, quos postea concordes reddemus.

Nota LXXXV. Nemo Chronographorum veterum aut recentium confidentius & impudentius hunc tractat calculum, quam Christierius Petrius. fol. 3. Quippè tanquam folia recitaret Sibyllina, vel indubios sequeretur Authores, aut illo vixisset tempore & scripsisset, ita profecto animose asseverat, Vitos, tempore Saruci, ex Gothiâ progressos, anno quidem Gedeonis XX. & Mundi MDCCXL. Dano potitos esse Rege, huncque anno Tholæ XVIII. Saxonibus ex Jutiâ profligatis, istius simul dominium Provinciæ, assecutum fuisse.

Nota LXXXVI. Idem præterea somniat, Regem Daniae primum, Tan non Dan, & regnum hinc Taniam, non Daniam, principio esse nuncupatos. Ast Daciam à Julio vocatam Cæfare, quod incolæ ad dandum hospitibus & liberalius tractandum essent valde proclives. Istantam tamen prius fabulam ille Anonymus Saxonice sub Christiano primò excusus, fol. 3. obiter annotavit non approbavit.

Nota LXXXVII. Nunc tandem meæ revocat me calculus Chronologiæ, & quidem quod Tviscon, quem alii vocant Aschenaze, pater fuerit Germanorum, permulti graves testantur Authores, quos inter est peretus ille Chronographus Berosus, atque Eusebius. lib. II.

Nota LXXXVIII. Discordes tamen sunt de Tuisconis parente, cum ille Noa, ipsum censeat genitum, hic Gomero, Noæ filio.

Nota LXXXIX. Prævalens verò Berosus, afferit lib. IV. & V. Thvisconem anno Nimroti, XXV. qui CLVI. fuit à diluvio Mundi, tradutis in Germaniam coloniis, regnum ibi auspicatum fuisse vastissimum.

Nota XC. Porrò unus Principum quos secum habuit, fuit Getus, seu Geta, filius Mesæ, non Magogi, Noæ de Semō abnepos, velut Berosus, locis citatis, & Lib. II. testatur.

Nota XCI. Quod Geta vel Godo ductore, non modicæ hominum cohortes in Scondiam deinde penetraverint, ut omnes fermè afferunt Scriptores Scondiæ.

Nota XCII. Verum de tempore ingressus non conveniunt, ut hactenus demonstravimus; Pleriq; tamen illorum Anno mundi, MDCCCXLVIII. qui est CXCIII. à Cataclysmo, existimant potius Gothiam, quam Vitafettiam, primos accepisse inhabitatores, teste, præter alias, Hvitfeldio. Tom. I. p. 2.

Nota XCIII. Cæterum Magogi, non Getæ, solum progeniem Scondiæ largitam colonos, tot memorant Authores, quot præsens non caperet pagina. Primarios verò Scondianorum Getas seu Gothos, à Geta vocatos ductore, ac primo moderatore, asseverant Vitachindus Saxonum historicus, lib. I. & Andreas Rosendius, libro antiquitatum Lusitanicarum, III. aliique non pauci scriptores externi ac interni.

Nota XCIV. Propterea turpiter in gratiam hallucinatur Danorum, sciens & volens quidem Arngrimus Jonas, Islandiæ Historicus, p. 42 asserens in primis Jetas seu Jettos, hoc est gigantes, postea Getas, Jutas & Gutas, Gothosque esse nuncupatos.

Nota XCV. Gothos & Jutas idem esse vocabulum, non nihil variatum, indè Huitfeldius Tom. I. p. 1, passim nititur probare, quod, ut orientalis & occidentalis, Sueonum Gothia, vulgo Ostergytland ac Vester-gytland vocitetur, ita borealem & australem Danorum Guthiam seu Jutiam, quam Goths olim, Cimbris expulsis, occupassent, Norrejutland & Sondre-

SCONDIAE ILLUSTRATÆ TOMUS XIII.

ff

Sondreutland, cum modica appellari differentia. Sed huic superius responsum est opinioni, modoque solum addo, quod veteres quilibet libri, non Gyllan vocent Gothiam, sed ubique Götland, & inhabitatores Getar.

Nota XCVI. Veritati & antiquitati proinde consentit assertio Isidori, *In Chron.* qui rectius & saepius Getas, quam Gothos esse nuncupatos, attestatur. Quâ de causâ, Elias Spartanus, Paulus Orosius, Jornandes & Procopius concorditer scribunt, Getas & Gothos eandem esse nationem; Sicut etiam Dion Cassius suam Gothicam historiam, de Getis inscripsit. Nec contraria quicquam evincit Rhenani opinio, in præfatione ad Procopium, testimonisque suam jugulat magis sententiam, quam roborat.

Nota XCVII. Nec Gothos & Gutos, significatione convenire, liquet ex Uplandiarum codice, fol. 12. titulo de Regalibus, paragrapho tertio; Itaque fallitur Ptolomæus, qui Gothos à Gutis existimat nominatos.

Nota XCVIII. Goths à Suecis non solum nomine sunt distincti, sed amplissimis etiam nemoribus, nempè Colmoran & Tivegiano. Ostrogoths porrò, & Vestrogoths, vastissima separat sylva Holvegiana, illosque propterea vocat Plinius lib. IV. Holleviones, quasi Holvegiones, quod nemus illud accolant.

Nota XCIX. Prisci Gothiæ Sueciæque termini, austrum versus, quidem, ad medium olim maris Baltici excurrebant, inter Gotlandiam & Prussiam desinentes, ut veteres legum codices testantur, quibus Eriacus suffragatur Upsalensis. pag. 9. Sed occidentem versus, ad medium protendebant fretum Oresundinum; Siquidem ad Gothiæ spectaverint olim regnum Scania, Hallandia, & Blechingia, prout constat ex historiâ Emundi Slemma & Magni Smechi, postmodum inferenda.

Nota C. In suo Methodius Chronicus, Gothos in stemmate ursam gestasse somniant, non vigilans asseverat, cum ex vetustis liqueat documentis, Leonem ipsos pro insignibus usurpasse; Quod etiam fatetur Johannes Mariana, Historicus Hispaniæ. lib. V. c. I.

Nota CI. Nec eadem cum Suecis habuerunt insignia Gothi, prout Dani conteridunt, quorum alibi respondebitur argumentis.

Nota CII. Verum ad Gothorum in Scondiam redeamus ingressiōnem, & audiamus Paulum Fagium in methodo explicandi hebraicā, & Gwilhelμ Postellum, lib. IX. & XV. Ethymologiarum, qui Tviscones seu Teutones ex Scondiā in Germaniam primò accessisse demonstrant. Idque si verum est, tunc fateri oportet Tvisconem ex Armeniā in Russiam, & hinc in Finlandiam, atque sinu demum Venedico trajecto, Scondiam adivisse.

Nota CIII. Neque consequentiam admitto M. Olai Neritii, inferentis, prius Vitaslettiam, quam Gothiam, incolas consecutam fuisse. Quandoquidem hujusmodi repugnat illatio toti propemodum antiquitati, Vitos ex Gothia profectos, constanter afferenti.

Nota CIV. Quod anno Nini IV. & secundum orbis eluvionēm CCLIII. Tviscon Sarmatis, Germanis atque Scondiis leges tradiderit, literasque, locupletes sunt mihi testes, Berosus lib. V. Anselmus Ryd, in sua mundi Epitome, fol. 5. & Achilles Gassarus, pag. 4. & 6. Quæ quidem scriptio elementa, vir antiquitatis Gothicæ studiosissimus Bonaventura Vulcanius, p. 13. vocat absolutissima, quod quidquid ad veram pertineat pronunciationem in se contineant; contestans porrò illa multis ante Ulphilam seculis, quorum tamen inventio ipsi falso adscriberetur, fuisse inventa.

Ez

Nota

12 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

Nota CV. Proinde cum Tviscon harum inventor sit literarum, fallitur, & fallit Johannes Gothus, lib. I. c. 7. quædam his saxa, etiam ante diluvium, in Scondia fuisse inscripta, asseverans.

Nota CVI. Vocabæ autem Runicæ, quod artis essent plenæ, quam Scythæ, runam appellantur. Runi etiam sunt magi Scondicæ nuncupati, quod his mirifice abuterentur quondam literis, ad nefarium suæ artis exercitium.

Nota CVII. Isti præterea Characteres egregium antiquitatis testimonium perhibent linguæ Scondicæ & Germanicæ, hinc liquidò probantes illam cum Tviscone, non gigantibus, aut Troianis, vel Othinianis, ut quidam comminiscuntur, in aquilonis oras primum esse introductam, quod saxa passim vetustissima, literis Runicis, & sermone nostratium moderno, reperiantur inarata; Quod ipsum testantur antiquissimi Goths codices iisdem conscripti, quorum præcipuus est, qui Perusii hodiè monstratur.

Nota CVIII. Porrò tantâ Gothi elegantiâ, suas iis res gestas conscripserunt, ut eximius Poëtarum Statius, libro II. Sylvarum, itâ canere non dubitet:

Getici cedat tibi gloria plectri.

Dion quoque Cassius, suis Gothos Græcis, in sapientiæ studio, adæquare non fuit veritus afferere.

Nota CIX. Quocunque Gothi arma protulerunt, eò simul sermonem attulerunt secum, ut fatetur non Paulus Fagius solum, ast etiam ipsa experientia, & præsertim in Italia, quæ permixtâ utitur hodiè lingua, ex Gothicis & Latinis loquendi modis, quemadmodum Olaus Gothus in calce sui operis demonstrat. Scondicam ibi cum Italicâ conferens.

Nota CX. Quoad Tvisconis mortem & apotheosin, quæ in annum, à diluvio CCCVI. inciderunt, consulendus est Anselmus Ryd. fol. 5. Sed Getam à Scondiis pro numine similiter cultum, fatetur prius Angliæ historicus, Matthæus Vestmonasteriensis. p. 142.

Nota CXI. Idem miram inducit narrationem p. 66. de quodam Geaf, quem vetustissimâ hominum memoriâ, delatum ad Scondiæ littora in cymba remige destitutâ, recenset, eaque inventus infans, sopor deditus, & frumenti manipulum juxta caput repositum habens, & quod inde suscepimus, ab accolis sollicite fuerit educatus, cumque adolevisset apud Slesvicenses Jutiæ, ab ipso vocabulum sortitos, gloriose admodum regnasset. Ab eodem posteà Geaff, Othini deducit genealogiam Matthæus Vestmonasteriensis.

Nota CXII. Quæ commemoro de Marso & Marte, non pauca habent antiquitatis testimonia domi, forisque, & præcipue Herodoti lib. VIII. p. 110. ac Jornandis; Quibus accedens Priscus, asseverat gladium Martis Scythes possidere. Quâ dubio procul allegoria, non intelligit aliud quam gentis Scythicæ ad bella promptitudinem gerenda.

Nota CXIII. Quæ in meo sequuntur commentario, de Getarum Deo Bleixen, cui posset addi Zamolxis; sicut etiam de consuetudine illorum sagittas in aërem librandi, testimonio nituntur Herodoti; lib. IV. p. 121. Nam licet de Getis loquatur Thraciæ, tamen eadem convenire Getis Scondiæ, constat, quod hinc progressi illuc, non econtrâ, hujusmodi secum eò ritus attulerint.

Nota CXIV. Quod templi usus, primis non fuerit Scondiis, fatetur Einhardus, ab Adamo citatus Bremensi. pag. 6. Cæterum ritus qui sequuntur, veterum orandi, sacrificandi, & funera humandi, eos describit

bit Crantzius lib. i. Suer. ac Huitfeldius, Tom. i. hicque simul addit, quod gentiles Scondiæ, capita hominum & brutorum duntaxat immolaverint, ast reliquum corporis in luco sacro suspenderint.

Nota CXV. Reliqua superstitionum portenta quæ comitantur, M. Adamus p. 8. & 143 similiter describit, Einhardum secutus.

Nota CXVI. Mox iidem subdunt, pag 9 quo Gothi pacto, cum hostibus congressuri, eventum belli exploraverint.

Nota CXVII. Vitos, seu Danos, Gothorum esse progeniem, fatentur plerique Scondiæ scriptores interni, sicut etiam externi, videlicet Isidorus in Chron. Jornandes p. 595. & Matthæus Westmonasteriensis. p. 183.

Nota CXVIII. Nec à Danais, Dais, vel Dacis, nominatos aut propagatos infrà demonstrabimus. Verum quo Viti tempore sunt ex Gothiâ progressi, neimo Chronographorum annotavit.

Nota CXIX. Johanni Gothe lib. i. c. 8. non assentior, qui clarissimæ nimium injuriis genti, comminiscitur eam, ceu Scondiæ colluviem, à Gothis in propinquas maris insulas fuisse relegatam. Siquidem hanc illi coloniam, reliquaque fortissimas & nobilissimas, minuendæ solum gratiâ multitudinis, emiserint; Sicut etiam quærendæ alibi terrarum commodæ propterea habitationis. Atque si Vitis, propter hujusmodi ex Gothiâ migrationem, ista foret calumnia struenda, quos Jornandes p. 525. inter omnes Scandiæ nationes, præcipuum affectare nomen, ob nimiam corporis proceritatem, testatur, non video quâ possent ratione, cætera coloniarum Scondicarum agmina clarissima, eandem non incurrere labeculam.

Nota CXX. An tributa pependerint Viti Gothorum regibus, donec proprium sunt Regem nahti Danum, nec affirmare, nec possim negare, cum authenticam non habeam de hac re historiam, & divinari non liceat sincero Scriptori, ac multò minus divinando calumniari, nobilissimasque inter nationes, ita odium prosemicare.

Nota CXXI. Danica vocatur hæreditas in legum codice Suetianorum, quæ ad regium divolvitur fiscum, quando legitimus demortui hæres ignoratur, sic appellata & hinc inchoata, quod primò Vitis, seu Danis, postea etiam reliquis ex Scondiâ colonis, cum alibi terrarum pedes & sedes, fixissent, hæreditas in Patriæ solo contingens, denegetur. Idque liquet evidentius ex prisco Vestrogothorum codice, qui Gothis in Græcia habitantibus, vetat opes capessere contribulum, in Scondia morientium.

Nota CXXII. Ut tamen aliquem amoris declararent Scondii affectum erga filios, agnatos & cognatos, in peregrinâ demortuos militiâ, ingentia domi saxa, instar pyramidum fermè, defuncti Epitaphio inscripta, suorum memoriæ, tanquam cenotaphia quædam, suscitarunt passim, & consecrarunt, pro ut meus veterum libellus Epitaphiorum, cap. 2. attestatur.

Nota CXXIII. Norvegos quoque suam trahere à Gothis originem, non Westmonasteriensis modò, in Genealogia confitetur Rolphonis Normanni; p. 183. Sed idem luculentius comprobant morum & linguae similitudo consuetudoque.

Nota CXXIV. Quod ipsum de insularibus ad Norvegiam pertinentibus dicendum populis. Et quidem ad Gronlandos quod attinet, ipsos Geographorum plerique à Suecis oriundos confitentur.

Nota CXXV. Itaque cum Vitia, Norvegiaque, Gothiam lubentes agnoscant patriam originalem, meritoque colant, a vero plurimum ab-

erravit Crantzius, p. 2. dum principio suæ historiæ censuit Daniam Sueciæ, velut antiquiorem, esse præferendam.

Nota CXXVI. Gothos seu Getas ex Scondiâ similiter progressos, non aliundè, velut quidam somniant potius, quam probant, vetustissimi, fidelissimique contestantur authores, Ablabius, Jornandes, p. 596. Isidorus, p. 23. M. Adamus, Matthæus Vestmonasteriensis, p. 183. Martinus Polonus, Rodericus Sancius, Alphonsus Carthagena, cap. 6. lib. 3. Andreas Rosendius, Albertus Crantzius, lib. 1. c. 1. Suec. Gersnerus in suo Mytridate, David Cytreus, præfatione in Thucididem, & Beatus Rhenanus suo in Procopium prologio, aliquie propemodum innumerí, veteres ac recentes historici, ut hoc quodammodo inficiari, non sapientis, verum extremè sit hominis dementis. His porrò non minoris efficaciæ domestica accedunt testimonia, scilicet prisca legum volumina; Saxa non pauca, multis ab hinc seculis inarata, fuscitataque, quæ demonstrant luculentissimè, Gothorum hinc egressionem, eaque si Goropius, & alii, contrariæ assertores sententiæ, prorsus temerarii, vel unico inspexissent obtutu, non difficulter veritatem hoc in negotio agnovissent.

Nota CXXVII. Cæterum quoad tempus egressionis, confidenter asseverat Crantzius, lib. 1. c. 2. Suec. illam contigisse, quando Judæis Othoniel dominabatur, & propterea Johannes Gothus, lib. 1. c. 14. annum à diluvio, DCCCLXXV. hujusmodi Scondiorum excursioni, censuit adscribendum.

Nota CXXVIII. Neque tamen eas ob causas quas Johannes allegat, Goths modò eruperunt, nempè ut vindicarent injurias à populis sibi transmarinis illatas, & suam demonstrarent bellandi fortitudinem, sed potius quod Scondia minus hoc tempore exculta, tantæ incolarum non sufficeret alenda multitudini.

Nota CXXIX. Vero etiam dissimilis videtur assertio Jornandis, qui Gothos solum tribus advectos navigiis commemorat Ulmerugiam invasisse. Quamquam non ignorem, Gothis identidem ex Scondiâ, copias esse auxiliares, non paucis submissis seculis, & primam modò gentis excursionem, potius explorandæ gratiâ regionis transmarinæ, quam subjugandæ, institutam esse.

Nota CXXX. Multo autem post tempore Viti à Gothis, Suecisque, in commilitium sunt adhibiti, videlicet, postquam Danicum sunt nomen sortiti; Siquidem exteri scriptores, nullam faciant mentionem postea Vitorum, ast Danorum seu Dacorum, veluti commilitonum. Quod porrò cum Gothis, atque Suecis, Dani & Norvegi, arma junxerint in hujusmodi excursionibus, diverso mundi tempore factis, ex historiâ non obscurè liquet Normannicâ. Crantz. lib. 1. c. 4. Suec. Attamen Gothicò fermè omnes nomine, diu ab exteris censebantur, ut postea iidem Normannico.

Nota CXXXI. Matthæus Vestmonasteriensis, pag. 183. binam finit Gothorum nationem Magogo progenitam, afferens unam Scythia dominatam Asiaticæ, & uxores habuisse Amazones; Sed alteram in Scythia habitasse Europæâ seu Sondicâ, indeque cum rege suo Berico in transmarinas erupisse regiones. Quippe falciflammam esse hanc sententiam, ex citatis paulò antè Chronographis, est manifestum.

Nota CXXXII. Tantundem habet veritatis quorundam assertio aliorum, qui à Getis seu Gothis, Danis seu Dacis in Tracia, Gothos, & Danos in Scondia, non potius illos ab his fabulantur oriundos, vetustissimorum maligne reluctantे scriptorum testimoniis, & præ invidia non

non considerantes, quod migratio Gentium incultas, sterilesque, cum cultis, frugiferisque soleant commutare provincias, non vice versa. Id tamen fecissent Gothi & Dani, si ex amœnissimis orientis regionibus, in frigidissimas horridasque Septentrionis oras migrassem.

Nota CXXXIII. Non paucas hujusmodi frivolas, invidasque habet assertiones Petrus Rosefontanus, pag. 12. &c. in suo contrâ Johannem Gothum libello apologetico, quibus cum alibi sit responsum, illarum hic supersedeo confutatione.

Nota CXXXIV. Rosefontanum sequitur Erasmus' Michaëlius Lætus, in prolixo, quod in nuptias scripsit Friderici II. Regis, Danici, epithalamio. p. 42. & 58. Tamen cum diu vagatus & nugatus est, demum p. 132. Gothorum ex Sondia confitetur egressionem.

Nota CXXXV. Sed quidam Christianus Cilicius, Cimber, in historia belli Dithmersici, lib. I. contumacius eundem propugnat errorem, nec palinodiam canit; æquior proinde scriptor Daniae Jonas Coldingensis, p. 34. castris istorum desertis, ad nostra quodammodo secessit. In multis tamen aliis Sondiæ antiquitatibus proferendis, nobis reluctatur, quem propterea ex professo alibi aggrediemur.

Nota CXXXVI. Genebrardus quidam Parisiensis in Chronologiâ orbis, lib. I. p. 35. existimat totam fermè Europam, usque annum à diluvio DCCCLXXXIV, vacuam habitatoribus fuisse. Quæ opinio quam sit veritati conformis, ex Gothorum liquet historia, qui IX. prius annis fuerant ex Sondiâ progressi, & multis anteâ seculis eam ingressi.

Nota CXXXVII. Sed computus Johannis Magni calamum revocat, qui lib. I. c. 14. Berico sceptrum Gothiæ traditum, Anno secundum aquas DCCCXXXVI. memorat. Quam porro verus sit iste calculus, & alia quæ de rebus Berici gestis, domi narrat, syncerus Sondicæ æstimator historiæ, non difficulter ex dictis judicabit.

Nota CXXXVIII. Pari Gothus versatur fide, in assignandis Berico cum Gothicis copiis egresso, domi successoribus. Nam quod Bericus habuerit filium Humulphum, & huic regimen assignaverit Sueciæ, Gothiæque, nemo Sondicorum meminit scriptorum, præter Johannem Gothum. Sed quidam illorum fatentur, quod Bericus postea domum reversus, ipsemet Suecis imperarit.

Nota CXXXIX. Eandem merentur censuram, quæ scribit lib. II. de Humelo & Gothilo. Quippè horum nullus quoque alias meminit scriptorum, præter Henningem, qui seductus eâ, quam habet Johannes de Gothilo, narratione, circâ annum propterea mundi MMDC. in Sondia istum regnasse comminiscitur. Quoad illum verò quid censeam, mecumque alii præter Johannem Sondiæ historici, postea indicabo.

Nota CXL. Quædam alia Sueciæ historia seu potius annalium scoria, subrogat Berico, domi Getericum, tanquam filium, & huic Philmerum, licet uterque Gothorum fuerit solum Rex, in exteris grassantium regionibus, illeque VI. & hic VII. foris regnaverint à Berico seu Erico.

Nota CXLI. Plurimis quoque fabulis ipsorum complet idem scriptor vel fictor historiam, & simul commiscet gesta Gothorum externa cum domesticis. Deinde Philmero substituit Ingonem, sed alii Nordianum, & post Hervitum, quam legitimè infra discutiemus.

Nota CXLII. Cæterum Johannes Gothus, cum reliquis Sueciæ quibusdam minus authenticis historicis, non Erico seu Berico Getericum; Ast Erico II. ipsum & Philmerum, Nordianumque subrogat; Etsi prius illos Gothis trans mare dominatos, assleveraverit,

16 CENSURA CHRONOLOGIAE SCONDIANÆ.

Nota CXLIII. Laurentius Nericius, suo narrat Chronico, in quibusdam inveniri historiarum fragmentis, quod primus fuerit Sueciæ Rex quidam Vilchinus, & hinc illam Vilchinlandiam fuisse diu vocatam. Et forsitan aliquid habet veritatis hujusmodi assertio, cum post Gothorum emigrationem, & usque Asianorum cum Othino immigratiōnem, non pauca transiverint secula, interimque, dubio procul, Reges in Suecia plurimi regnaverint, quorum nè quidem nomina, multò minus historiam tenemus. Quod accidit nobis dispendium, propter crebras gentium huc infusiones, & crebriores identidem effusiones; Falsum tamen est quod primus fuerit Vilchinus Regum Sueiticorum, prout nostra evincit Censura Apologetica.

Nota CXLIV. Ad Scondianorum reversus excursionem invenio concordi scriptores assensu, fateri Visigothos, Hypogothos, Ostrogothos, Gothorum esse conterraneos, hosque velut species existere, & illos gehus. Quod tamen evidentius demonstrat patria ipsorum originalis, in Ostrogothiam, Vestrogothiam, & Austrogothiam seu Smalandiam, hodiè etiam divisa.

Nota CXLV. Amazonas Gothorum esse conjuges ex Scondiâ, non Asiâ, ut fabulatur Vestmonasteriensis, oriundorum, eximiaque diu belli gloria floruisse, testantur Ablabius, Jornandes, p. 598. Orosius, Isidorus, M. Adamus, p. 87. Titemius, Crantzius, lib. I. c. 6. Suec, plurimique horum sectatores.

Nota CXLVI. Nec in Capadocia solum Pontica, & Asiâ, dominium reliqua obtinuerunt Amazones, sed borealia etiā orientaliaque maris Baltici olim littora, frequentes & potentes, accoluerunt, quārum occupant hodiè regionem Ostrobotnienses; Ubi fuerant, dubio procul, à maritis relictae, bellum in remotiores orientis populos ferventer proferentibus.

Nota CXLVII. Porrò crebram facit mentionem provinciæ hujus Amazonicæ M. Adamus, p. 87. & 139. & nautarum seductus narrationibus, quādam admiscet paradoxa.

Nota CXLVIII. Chronicon Islandiæ, quod Arngrimus Jonas conscripsit, lib. II. p. 114. priscis refertum documentis, Adamo suffragatur, præfatam vocans ditionem Scondice, Quenland, hoc est regionem fœminarum. Quod currentis ævi homines, nimis corruperunt vocabulum, ditionis partem Amazonicæ, Kajanlandiam, pro Quenlandia, vitiōse appellantes.

Nota CXLIX. Gepidas ex Gothis etiam propagatos, in Scondiaque natos, liquet ex Ablabio, Jornande p. 602. ac Procopio, p. 308. lib. III. belli Vandalici, quem consulat, oro, Lector.

Nota CL. Getulos natione pariter esse Scondios, fatetur Isidorus, lib. IX. & XIV. ubi sobolem vocat ipsos Gothicam.

Nota CLI. Eadem Herulos gloriari patriâ, citato Isidorus loco asseverat: Sed copiosius Procopius, lib. II. p. 89. & 90. belli Gothicæ, ubi simul religionem describit Herulorum.

Nota CLII. Heruli suos confitentur meritò populares esse Hunnos. Enimvero ipsos ex Scondia egressos, in memoria, sermoneque nostratum, perseverat; Et historia idem asseverat Martini Poloni, quam Rodericus Sancius lib. I. c. 9. allegat. Falsa proindè est assertio Jornandis p. 611. & omnibus rectè philosophantibus omniō contraria, à Faunis & Sagis, Hunnorū deducētis originem; Quam quoque Albertus Crantzius, lib. 2. c. 15. Suec. ceu fabulosam aversans, aliam substituit, non tamen vero prorsus conformem.

Nota

Nota CLIII. Scondii Russiam, multo quondam tempore, *Hunegard* appellantur, prout veteres testantur libri, quod Hunni, post suam ex Scondiâ digressionem, diu illic desiderint; Quibus cum Froto Danorum Rex, teste Saxone, *lib. V. p. 80.* horrendum habuit conflictum, aliquie Scondiæ Principes.

Nota CLIV. Pervetus ille scriptor Agathias *lib. II. p. 418.* Procopio adjunctus, afferit Britones ab Hunnis propagatos.

Nota CLV. Nominis vocabulum traxerunt Hunni à suo ex Scondiâ ductore, non ab illo Berosi Hunno, & Tvisconis progenie.

Nota CLVI. Suevi seu Helvetii ex Scondiâ se oriundos, non diffitentur; Quibus assentitur Bodinus *p. 168.* in sua Methodo historicâ, & isto Lucanus versu:

Fundit ab extremo, flavos aquilone Suevos.

Nota CLVII. Alanos, gentem esse similiter Scondicam, constat testimonio Procopii *lib. III. p. 309.* belli Vandalici; Conradi Peutingeri, *p. 687.* Josephi *lib. VII.* belli Judaici, Isidori *lib. XV.* & Adami Bremensis, *p. 139.*

Nota CLVIII. Qui fatentur historici, Alanos ab Alaniâ Scondiæ insula propagatos & nominatos, non à Sala fluvio Saxoniæ, velut Crantzus, *lib. III. c. 2.* suæ Sueciæ, conjecturâ, minus probabili, colligit,

Nota CLIX. Vinulos seu Vinidas aut Venedos, gentem esse Slavonicam, non Scondicam, demonstrat Cromerus in prolegomenis historiæ Polonicae, ab illisque Finnos advenam Scondiæ populum trahere nominis & generis originem, hinc non obscurè liquet, quod qui principio Venedi, posteà vulgo Venni & Fenni, Finniqne sint appellati. Immò Germani eos hoc etiam tempore, Vennen nominant, & ab aliis sinus quem accolunt Venedicus inde nuncupatur.

Nota CLX. Propriâ ipsimet lingua, se vocant *Somalaitas*, ita vocabulo nonnihil variato, suam ex Sauromatis seu Sarmatis indicantes originem.

Nota CLXI. Hinc manifestum evadit, quam turpiter illi sunt hallucinati, qui Finlandiam, quasi bonam terram, perhibent appellatam. Gravius tamen isti labuntur, qui Etymologiam illius deducunt à Fyndland, afferentes, ipsam à Suecis ita vocatam, quod ab horum inhabitatetur hostibus.

Nota CLXII. Jacobus Ziglerus demonstrat, *p. 425.* quod Plinius *lib. IV.* per Eningiam intellexerit Finningiam, & alibi, per Pannoniam, Scondiæ Finnioniam. Demiror autem in M. Adami historiâ, nullam fieri mentionem Finlandiæ; Nec hanc per nomen Fenvediæ arbitror intelligi, cum ille Fenvediam collocet inter Sueciam & Norvegiæ, Vermelandiæque faciat conterminam.

Nota CLXIII. Verisimilius quod per Schifinnos, quos ille Germanicâ seductus voce Skrieschun, Scritefinnos, aſt neotherici Scricfinnos, eandem ob causam, vocavit, Finnes intellexerit, simulque reliquos sinus Bothnici, ex utraque parte accolat, videlicet, Angermannos, Vesterbothnienses, Lappones, Ostrobothnienses, quod isti pariter, hujusmodi utantur lignis repandis, in faciendo per hyemem itinere, idque propter superandam facilius nivium ibi profunditatem, Schy, non Scry vel Scrich, appellatis.

Nota CLXIV. Nec alio sub vocabulo, Lapponum Adamus meminit, qui ejusdem sunt nationis, cum Finnibus & Livonibus, sermonisque propterea non magnopere diversi, Porro Schifinnorum occident-

18 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

dentalium & Borealium, fuisse civitatem Helsingaland, seu potius Helsinglund, communem, Adamus p. 142. commemorat.

Nota CLXV. Jornandes Adamo vetustior, hos p. 595. intelligit Finnos, quos Scondiorum appellat mitissimos; Nam hodiè isti etiam boreales Sueciæ populi, mansuetudinis & humanitatis in advenas, florēt sanè præconio.

Nota CLXVI. Cum Scondia veteribus appelletur scriptoribus, vagina & officina gentium, illorum Olaus Gothus in proœmio libri VIII. nixus auctoritate, affirmit plusquam XXXIV. reges ex Scondia, diverso mundi tempore, cum plurimis identidem bellatorum milibus, in transmarinas erupisse regiones.

Nota CLXVII. Quos exercituum Duces, ab imperio semper regis in Scondia dominantis dependisse, testatur Alphonsus Cartagena, lib. I. c. 6. in sua Principum Hispanicorum anacephaleosi.

Nota CLXVIII. De virginum cum sacris hyperboreis in Delum hinc olim transmissione, loquitur Herodotus lib. IV. p. 112. eamque Scondiis consuetudinem Jacobus Zieglerus p. 474. mecum accommodat, quos antea probaveram, esse Hyperboreos, non quod suprà boreæ habitent flatum: Verum quod hujusmodi sint ventis communiter expositi.

Nota CLXIX. Cæterum quæ in mea sequitur Chronologia, narratio, de Regina Disa, præterquam quod in hominum sermonibus firma ha-ctenus perseveraverint, simul ab Olao Gotha lib. IV. c. 6. comprobatur.

Nota CLXX. Nec Disa eadem est, cum Gambaruca; Siquidem hæc multis post illam florens seculis, Longobardorum suaserit egressio-nem.

Nota CLXXI. In memoriam tanti beneficii, quod Scondiis exhibuit Disa, tertiam hebdomadæ feriam de ipsa nominarunt, sacræ Reginæ dicatam, sicut etiam brumales Vpsaliæ nundinas, ab eadem vocarunt Disanas. Nec vera Germanorum opinio, afferentium, ex suo corrupto loquendi modo, feriam Dingsdag appellatam, quod olim iudicio foret deputata exercendo, Ting Scondice nuncupato; Quandoquidem ipsum feriæ VII. nomen, quod sonat diem legis, Lougerdag, non obscurè demonstret, judicium in ea exercitum fuisse; Verum reliqui Septimanæ dies, à Deorum sunt nominibus vocati, nimirum primus à Sole, alter à Luna, tertius à Disa, quartus ab Othino, quintus à Thoro, Sextus à Frey, & septimus à jure dicundo.

Nota CLXXII. Quæ scribo de Gigantum in Scondiam immigratiōne ac commoratione, pervetusto nituntur testimonio Saxonis Grammatici, p. 9. Erici Upsalensis p. 12. & scriptorum Islandicorum, præcipue verò Arngrimi Jonæ, qui lib. I. c. 4. hanc ex professo tractat quæstionem. Quibus accedit Olaus Gothus, qui libro sui operis V. eandem probat rationibus & iconibus, tantisque qui noluerit fidem authoribus tribuere, Scondiam perlustrat admirandis Gigantum operibus plenam, & nostram diutius non respuit sententiam.

Nota CLXXIII. Tales monströsi homines montium cavernis ha-bitantes, Scondiis dicebantur Jettar, Resar & Kempar; Nec Cimber & Kemper, prout quidam sibi blandiuntur Danorum, eandem habent significationem; Siquidem ex Cimmeriis & Sicambris, variato nimium vocabulo, profluxerit, Cimber, non à voce Scondicâ, Kemper.

Nota CLXXIV. Verisimilior est alia eorundem sententia, quæ Ryslandiam, quasi Reselandiam, ideo dictam in primis contendunt, quod Gigantes ipsam frequentiores inhabitaverint olim, & propterea hodiè proceriores ibi, quam alibi terrarum, homines inveniri.

No-

Nota CLXXV. Nostra de Trojanorum migrationibus narratio, vetustissimos, certissimosque sequitur authores, quorum hoc de negotio, sententiam, Hieronymus Gebuilerus illo contraxit fideliter opusculo, quod scripserat de Genealogia Principum Austriacorum seu veterum Habsburgicorum.

Nota CLXXVI. Nec Gebuilerus solum confitetur, Trojanorum in Chersonesum Danicam & Sondiæ provincias, effusionem; Sed etiam Christianus Cilicius, in historia Dithmersorum. lib. i. illos Cimbros tantum appellans; Arngrimus Jonas in Chronico Islandiæ lib. i. p. 45. & Haraldus Huitfeldius in sua de Normannis relatione, quam in calce, tomis primi, loco corollarii positam, ex Thoma compilavit Ualsingamo, & aliis Britanniæ scriptoribus.

Nota CLXXVII. Quibus, cum in hoc labitur Huitfeldius, quod ibi afferat Gothos à Trojanis propagatos, & Danos à quodam Trojanorum Principe Danao, ita nominatos, quemadmodum supra demonstratum, & infrà mox quoad Danos, copiosius demonstrabitur.

Nota CLXXVIII. Surtvinbarteri dominium in Vitos, memorat Achilles Gassarus p. 74.

Nota CLXXIX. Emigrationem de Chersoneso Sondica, & aliis in Saxonia pridem occupatis ditionibus, Cimbrorum Trojanorum, variisque horum in orbe grassationes, describit Christianus Cilicius lib. i. natione ipsemet Cimber; Qui tamen plus æquo subinde genti suæ blanditur.

Nota CLXXX. Chersonesum, post egressionem inde Cimbrorum, colono ferme vacuam, probabilius quidam referunt annales, à Jutore Saxonum Principe, occupatam & nominatam, quam illi, quos supra produximus.

Nota CLXXXI. Veterem nostratium historicorum controversiam, de Humelo, Thoro, Dano & Noro, Sondiæ regibus, dirimendi, primam mihi suggerit Chronicon Islandiæ rationem, quod in eo Arngrimus, p. 32. Principum produxerit illorum genealogiam, ex perveritus Sondiæ documentis, in Islandiâ conservatis, compilatam; nonnullis tamen cum erroribus.

Nota CLXXXII. Nam in primis vocat Snore, cognomento Gumble, hoc est, antiquum, pro Humble, nisi forsitan ipsemet potius Saxo sit lapsus, qui primus in Sondica meminit historia, Humbli seu Humeli, & perperam in vetustis legerit exemplaribus, suoque inscripserit simul Chronico, Humblum pro Gumble, cum dicat Arngrimus, Snore ideo tale fortissimum esse cognomen, quod CCC. vixisset annos.

Nota CLXXXIII. Secundò fallitur Arngrimus, quod pro Daun seu Dan, ponat, vito se legendo & scribendo, Faun, insuperque hunc nominet feminam, non masculum, ac sororem Thoronis & Snoronis filiam.

Nota CLXXXIV. Anguli turpiter oblitus qui III. fuit Snoronis filius, binas illi natas attribuit, Miollam & Drifvam. Veraciter tamen Thoroni filium deputat, Nore, qui sororem habuit Goejam, & fratrem Gorum, Ostani Gylfve avum paternum.

Nota CLXXXV. Hinc erronea etiam proditur aliorum assertio, qui Humelo tribuunt filios, Snore, Nore, Ostenum; Sicut & reliquorum, qui eosdem Danumque Urbaro genitos, simili perhibent veritate.

Nota CLXXXVI. Pleraque Historiarum fragmenta Sondiærum, Humelum, Gothiæ vel Sueciæ faciunt Regem, indeque Danum Vitis missum subsidio; Quod ipsum confitetur alienigena Petrus Trecen-

sis, suprà non rarò citatus. Propterea falsa est quorundam opinio Danorum, qui Humelum Gothis invidentes, malitiose & mendose asserunt Humelum Sielandiæ dntaxat Satrapam vel Judicem exstissem.

Nota CLXXXVII. Conveniunt tamen Suetici & Danici scriptores, quod Vitaslettia nomen à Dano fuerit sortita, eademque referunt mecum fermè, de promotione Dani, & Jutorum subjugatione, ut superiores testantur paginæ.

Nota CLXXXVIII. Porrò Danum sceptro potitum Vitaslettia ac Jutia, circa hoc mundi labentis curriculum, non prius, firmissimis probatur rationibus, quarum prima & potissima sumitur, ab Othini adventu in Scondiam; Is autem infallibili Historiæ Norvagicae testimonio, fol. 2. p. 31. contigit Anno circiter XXIV. ante Christi natalem. Illa siquidem afferit, quod Othinus à Pompeio, viribus Romanorum subnixo, pulsus ex Asiâ minore, secesserit primò in Russiam, & postea in Saxoniam, indeque Scondiam invaserit, & ipsam subdiderit. Proinde cum unanimis sit Chronographorum consensus, ut liquet ex Gassaro p. 96 quod Pompeiana in Asiam excursio, annis LX. antequam Christus nascetur, acciderit; Sicut etiam Saxo Scondiorum antesignanus fermè scriptorum, Othini faciat mentionem in vita Hadingi, pag. 12. qui propinquus Dani fuerat, hinc concluditur, Danum penultimo antè Christum seculo, Regnum in Daniâ fuisse auspiciatum.

Nota CLXXXIX. Nec minus est propemodum efficax altera ratio, quâ cum liquidò comprobetur Othinum Lothero Dani filio, in Vitaslettia regnante, in Scondiam penetrasse, colligitur etiam indè, ultimo Danum seculo, priusquam Christus nascetur, in suâ Vitia rerum esse potitum. Enimvero priscum Norvegiae Chronicum, quod nuper Joannes Martini, parochus in Daniâ Slangerupensis, ex Typographia publicavit Haffniensi, fol. 2. memorat Schioldum Dani nepotem, uxore gavisum Sagâ quâdam Othini sociâ in Scondiam, indeque Schioldungos Danorum Reges suam habere originem. Sed corrupto usus Joannes exemplari manuscripto, pro Schiold Lotheson, Schiold Otneson, textui perperam inseruit; Quandoquidem certò constet certius, Schioldum, à quo Schioldungi, Lothero genitum fuisse parente, non Othnero.

Nota CXC. Saxo etiam confundens historiam Lotheri & Hotheri, qui XIV. à Dano regnavit, Thorum Othinumque facit Hothero synchronos, & quod Lotherus bellum cum Othino hujusque filio gesserit Baldero, id falsissime tribuit Hothero, plurimis exinde annis Daniam gubernanti. Ista est tertia ratio, quæ cum probet Othinum sub Lothero in Scondiam accessisse, profugum ab Asiâ, ex ipsa licet inferre, Danum Lotheri patrem, proximo antè Christum seculo, in Daniâ regnasse.

Nota CXCI. Quando in Suecia dominabatur Ostenus Gylvi, contigit Othini adventus in Scondiam, prout Historia confitetur Norvegica, & Islandica. Sed hujus insuper testimonio constat, Ostensi proximum, Thorum, fuisse Dani fratrem germanum, indeque propterea liquet, quantum illi a veritatis tramite aberraverint, qui regimen Dani, tot antè Christum seculis statuere non erubuerunt. Quæ est quarta nostræ sententiæ ratio.

Nota CXCII. Nec ultima eandem minus roborat, quæ ducitur à Catalogo Regum Sueticorum, Danicorum & Noricorum. Quippe si eum qui legitimè contextus est, à nonnullis Scondiæ Historicis, non porrò quem ab humanæ salutis exordio, inchoaverimus, sufficientes in

in ipso personas & Regum numerum, temporis intervallo respondentem, inveniemus. Nec toties de Regum, in his regnis defectu, queri cogemur, quoties id frustra Crantzius facit. Neque tot comminiisci Reges, quot Johannes Gothus in sua configit Historia, necessarium existimabimus. Quæ profectò ratio, cum præcedentibus quatuor, suo extorquet jure, quod Danus ultimo, vel saltem penultimo, antè Christi natalem seculo, Vitis cæperit dominari, & quod fabulas, non historias, narrent, qui Catalogo Regem Scondicorum, quem Saxo primus latinè contexuit, aliud temporis exordium assignant.

Nota CXCIII. His loco Epilogi accedit Christianus Cilicius, quilibro primo, belli Dithmersici, affirmat, quod imperante Augusto Cæsare, Dani expulsis Cimbrorum reliquiis, sibi Jutiam subjugarint; Atque cum ista contigerit victoria Dani, Principis fortissimi auspicio, ut Sondicæ factentur historiæ, hinc consequens est, quod regnum Dan suum exorsus sit isto, vel non multo prius, tempore.

Nota CXCIV. Quæ Johannes Gothus memorat, de præceptis quibusdam Dano, sceptrum Vitiæ suscepturn, per Humelum patrem præscriptis, in odium gentis conficta esse, mihi persuadeo.

Nota CXCV. Fragmenta vetustatis quædam, sicut etiam Saxonis epitome quæ prodiit olim ex typis Germanicè, narrat, fol. 3. quod Juti contrà Saxonum incursions, modò propugnaculum illud limitaneum objecerint; Ideoque falluntur, qui Getherico, velut primo hujus operis conditori, postea ipsum adscripferunt.

Nota CXCVI. Insulæ, quas Vitorum natio incolebat, post suscepptum à Dano illarum regimen, multo tempore Danaholmar vocabantur; Quod tandem sola retinuit vocabulum, quædam insula inter Sueciam, Daniam & Norvegiam, constituta, velut centrum. Cujus proinde unam sibi portionem Suecus, alteram Danus, & tertiam Norvegus, vendicarunt; In eaque colloquia de regnorum suorum negotiis, crebro frequenterunt; Quando tunc honoris Danus & Norvegus, Regi Sueonum seu Upsalensi, decreto compulsi Othiniano, prout liquet ex historiâ Norvegiae, fol. 16. exhibuerunt, ut simul ipso equum ascidente, ille frenum, hic stapedem, officiosi continerent. Ita pervetus legum Vestrogothicarum fatetur codex, sed insulæ fit mentio in ea limitum designatio-ne, quam Emundus & Suenotheo, minus justam, inter Gothiam & Daniam postea instituerunt.

Nota CXCVII. Hinc luce clarius patet meridianâ, quam syncerus fuerit scriptor M. Christiernus Petrius, qui, ut alibi quoque inculcavimus, totam vocat Sondiam, Danianam insulam, quo jure viderit ipse. Quandoquidem Dani, non fuerint unquam totius Sondiæ inhabitatores, & licet quandoque Reges illorum, Sondiæ possessores fuerint, non tamen veteris propterea nominis jacturam passa, ut non Italia vel Hispania, quod Gothorum fuerit armis subjugata.

Nota CXCVIII. Fœdum quoque crimen falsi admisit, qui vetustum, de conventu Regum Scondicorum, Danaholmensi, & honoribus Sueco ibi exhibitis, textum scelerate corrupit, codicique itâ legum Sie landicarum apposuit. Nam quanta fuerit Regis Upsalensis præ aliis Sondiæ Principibus olim eminentia, excellentia & potentia, M. Adamus in suo de situ Sondiæ libello, p. 141. etiam non conticuit.

Nota CXCIX. Jornandes asseverat p. 55. Danos Gothorum sobolem, Herulis bella movisse, sedibusque exuisse; Unde suspicandi, non affirmandi, capio occasionem, quod fortassis Heruli, Vitiam priores inhabitaverint.

22 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

Nota CC. Vel forsitan Dani, trans Oceanum, ex suis erumpentes insulis, una cum Gothis, seu aliis Scondiæ agminibus, Herulos alibi terrarum desidentes, profligarunt, nomenque suum in Asiam usque propagarunt. Siquidem hinc Danos seu Dacos, illuc progressos, non contrâ, nec Danos à Dais vel Danais, appellatos, certus existimo, mecumque Albertus Crantzius, quem Lector consulat. lib. I. Suec. p. 206. & 224.

Nota CCI. Cæterum Norus, Dani fratre natus Thoro, primus Norvegiæ monarcha evasit, idque ultimo etiam antè Christum seculo, velut ex præcedentibus liquet rationum monumentis. Sed priores Norvegiæ Regulos, invidit nostro ævo Arngrimus, ut ipsem fatetur, ilorum lubens volensque prætereundo notam sibi historiam; Subticet quoque alias Scondiæ Principes, qui multo antè Othinum tempore, rerum hic sunt potiti, teste ipsomet; Quod hominis silentium invidi, magno est Scondiæ historiæ detrimento.

Nota CCII. Posteros similiter Nori subticuit, quorum in ordine duodecimum statuit esse, Haraldum Pulchricomum, in linea recta inde descendenter. Quæ assertio minus probabilis videtur, cum Pulchrimus, nono post Christum seculo in Norvegia sit dominatus, & impossibile sit, interea non plures inter ipsum & Norum fuisse generis propagatores. Deinde Chronicon Norvegiæ, quod Thiodolphus Frode conscripsit, rogatus à Pulchricomo, suos cognoscere majores desiderante, Haroldi genus paternum, à Freij Deo, prolixiori multo serie, non à Noro, deduxit, prout alibi ipsem confitetur Arngrimus.

Nota CCIII. Neque minus illi falluntur, qui Norvegiam à Noro fortitam contendunt hujusmodi appellationem, quorum aliqui, sic dictam, quasi viam Nori vel parietem; Alii verò, quod esset Nori regnum. Enimverò nomen illa suum, à situ obtinuit boreali, & quod ad borealem vergeret mundi plagam, vocata fuit Scondice, Norryche, hoc est, regnum boreale, eandemque ob causam, à populis occiduis appellata fuit, Normannia.

Nota CCIV. Post Nori parentem Thorum, rectius collocantur, Urbarus & Ostenus Sueciæ Gothiæque Reges, quam post Frotonem II. velut ex vetustioribus, ac emendationibus, liquet Scondiæ Chronicis.

Nota CCV. Horum potissima sunt Norvegicum fol. 3. & Islandicum, p. 31. & 32. quæ cum Ostenum hoc ponant loco, & in aliis Urbarus ipsi semper historiis conjungatur, utrique hoc spatium in mea Chronologia, non immerito assignavi.

Nota CCVI. Nec minor est consensus scriptorum Sueticorum, de Cane, quem Ostenus, Norvegis Regem obtrusisse memoratur.

Nota CCVII. Sequitur Othini seu Vodeni adventus in Sondiam, de quo si lector antiquitatis studiosus, exactiorem desideraverit notitiam, legat Norvegiæ & Islandiæ historiam p. 47. Chronicon Ecclesiasticum venerabilis Bedæ lib. I. cap. XV. M. Adamum p. 143. Sabellicum & Matthæum Vestmonasteriensem, p. 174. qui reliquis, hac in re, copiosior existit.

Nota CCVIII. Hic tamen magnopere lapsus est in Genealogia Vodeni, quam ab Adamo minus vere traducit, cum incredibile sit, quod non plures intercesserint personæ, quam ille producit.

Nota CCIX. Nec præterea fidem in hoc meretur, quod feriam hebdomadæ VI. à Frigga Othini conjugæ nomen fortitam velit, cum à Frey idolo fuerit appellata, indeque Freydag, non Friggedag, vocetur,

Nota CCX. Gravius porrò fuit hallucinatus Saxo p. 93. qui Othi-

num

num facit Thori parentem, cum hic multo decesserit tempore, antè illius in Scondiam, prout ex dictis hactenus manifestè constat, adventum.

Nota CCXI. Potius etiam credo Historiæ Adami p. 40. sinum Daniæ Ottonensem, ab Imperatore nuncupatum Ottone, asseveranti, quam alteri cuidam, eundem ab Othino vocabulum esse sortitum fabulanti.

Nota CCXII. Nec parum injurius est Saxo Sueonibus, quod Othi-
num falsò dicat, propter incolarum inertiam, libentius & frequentius in
Sueonia, quam aliis Scondiæ regnis commoratum. Longè verò aliud no-
stratisbus hac in re, testimonium perhibet, M. Adamus p. 140. qui calu-
mrias hujusmodi Saxonis non raro manifestat.

Nota CCXIII. Nullibi tam fabulosa est Saxonis narratio, atque in
historia Othini; Verum tamen asserit, quod Othinus fuerit monoculus, &
tale Scondiis numen, quale aliis fuerunt gentibus, Plutus & Protheus.

Nota CCXIV. Nec secum Othinus in Scondiam adduxit Thorum,
puout Chronicon affirmat Noricum, fol. 3. ipsum faciens unum ex Othi-
ni archiflaminibus, quos Diales vocat, cum secus alibi demonstraverimus.

Nota CCXV. Vera tamen pleraque sunt, quæ idem narrat Chro-
nicon, de Frotone, Othini successore; Sed quod Fruam seu Friggam,
Othini uxorem, Frotonis etiam tribuat matrimonio, plurimum à vero
discedit, ab aliisque Scondiæ scriptoribus, ad orbitam reducitur veri-
tatis.

Nota CCXVI. Communis illi exorbitatio, cum aliis Sueciæ ac
Norvegiæ historiis, qui Frothonem primum, cum altero, hujus nomi-
nis, Suetico Rege, perperam confundentes, quidquid illi esset tribu-
endum, huic minus veraciter adscribunt. Magis tamen hac in re cul-
pabiles Norvegici sunt historici, quam Suetici, quod hi ab illis, velut an-
tiquioribus, seducti, aberraverint.

Nota CCXVII. Isto Scondiis Frotone dominante, Christum in Ju-
dæa natum, propterea censeo, quod omnes Scondiæ vocent historiæ,
Regem illum Frotонem, qui rerum illo tempore hīc potiretur, nec al-
teri magis conveniat narratio, quam huic, utpotè, quem discursus de-
monstrat præmissus, eodem prorsus tempore in Scondiâ regnasse. Quisimul
evincit, quod nullā possit ratione, Frotoni IV. Danorum Regi, talis
convenire prærogativa, licet eam plerique hactenus Scondiæ historici, a
Saxone turpiter decepti, Frotoni IV. tribuerint, qui longo post tempo-
re floruerat.

Nota CCXVIII. Quæ fallacissima temporis æra, multis præbuit a-
liis quoque occasionem erroribus, prout alibi sufficienter est demonstra-
tum.

Nota CCXIX. Non verò igitur dissimile videtur, quod Froto i-
ste, toti fuerit Scondiæ dominatus; Quandoquidem Sueci, Dani & Nor-
vegi, tanto illum sint prosecuti honore, ut Numinis loco ipsum venerari
mortuum non dubitarint, & genus ab ipso regium se propagatum habe-
re, sibi perhonorificum semper posteâ existimaverint.

Nota CCXX. Ipsum tamen Saxo, minus rectè de illo informa-
tus, solum vocat Deorum satrapam Scondicorum, p. 38. Qui simul in hoc
fallitur, quod Frotонem hunc primò imolationem humanarum institu-
isse victimarum perhibeat. Siquidem aliundè constet certò certius, Go-
thos multò antè Christi natalem humanis Martem hostiis placasse.

Nota CCXXI. Fro, non Frotонem, appellat illum Saxo, p. 50. & Ada-
mus ipsius progeniem, Inglingar vocatam, genus esse gigantum, affirmans
gigantem fuisse Frotонem, non obscurè indicat. Ibi tamen aberrat, quod
affe-

afferat Haquinum, cognomento divitem, Norvegiæ principem quem à Frotone propagatum refert, regiâ primò dignitate in Norvegiâ fuisse gavisum, & antecessores Ducis solum titulo usos, cum aliud certissima Norvegiæ probet historia.

Nota CCXXII. Libentius autem Reges Scondiæ suum à Frotone genealogiam texebant, quod ipsum, Othino genitum parente, censerent. Cujus erat frater, Niordus, qui propterea thronum deinde fuit assecutus. Sueticum, de quo cum Hernito, Russorum Principe, aliquandiu beligeravit.

Nota CCXXIII. Johannes Gothus *lib. 5. c. 15.* quod hunc ab historicis quandoque Nordianum appellari compererit, ex uno fecit binos, in suo Catalogo, Reges, Niordianum & Nearchum. Sicut etiam *lib. 7. c. 12.* Othinum & Philimerum, confundens, Niordiano parentem assignat, Philimerum, licet potius Othino foret propagatus.

Nota CCXXIV. Quædam Sueticæ historiæ fragmenta, ex fabulis desumpta Theodorici Veronensis, quandam hoc nobis loco Regem obtrudunt Ofantricem. Quem meliori proinde jurè extrudimus, ad exteras relegandum hinc nationes.

Nota CCXXV. Mea de Scondiæ idolis ac sacrificiis, narratio, syncerioribus convenit gentis nostræ scriptoribus. Nec minus etiam Huitfeldii de cultu in Lethra Danorum Idololatrico, cui pariter subscribunt Dithmarus Mersburgensis, in historia Henrici Cæsaris, & in eadem Georgius Fabricius, afferentes factam ibi Hecatumben.

Nota CCXXVI. Ex quibus præterea constat, caput duntaxat victimarum, Diis fuisse immolatum, & reliquum corporis in propinquum suspensum esse luco, gentibus sacro. Victimæ porrò fuerunt, testibus iisdem, XCIX. homines, & totidem Equi, Canes, atque galli gallinacei loco accipitrum; Quod holocaustum hecatumben vocatum, quovis novenio sollennius in Lethra Daniæ, & Upsalia Sueciæ, ad VII. Januarii diem, Scondii quondam frequentaverunt.

Nota CCXXVII. Potissimum tamen Idolorum cultus floruit Upsaliæ; Quem ipsimet etiam Daniæ Reges, non raro inviserunt, ibique unicum totius Scondiæ fuit delubrum magnificentissimum, quod Frotó construxerat, veluti Chronicon narrat Norvegicum. *fol. 4.*

Nota CCXXVIII. His in mea submittitur Chronologia, succincta regum Sueticorum, Danicorum & Noricorum, historia, quæ non immitto velut medulla & nucleus omnium, quæ de iis scripta inveniuntur Principibus, censi possit. Etenim quidquid fide, memoriam & historiam dignum, apud Chronographos Scondiæ reperi, breviter & fideliter in eam congeSSI.

Nota CCXXIX. Compræhendit eadem syncero prorsus Catalogo, quotquot primariò in Scondia sunt Reges dominati, ab humanæ salutis exordio, usque annum Christi DCCC.

Nota CCXXX. Quoad Sueciam, in ipsa interim LI. Regum gloriose admodum imperarunt, qui decreto compulsi Othiniano, se Principes diu scribebant Upsalenses, horumque primum post Niordum, statuo Sigtrugum.

Nota CCXXXI. Quidam alii Niordum seu Nearchum, alio collocantes perperam loco, nunc Frotонem, nunc Siolmum, ipsi minus recte subjiciunt. Nam isti confundunt scriptores Frotонem primum, cum secundo.

Nota CCXXXII. Qui similiter, ut ex Niordo binos commenti sunt

sunt Reges, quos Nordanum & Nearcum vocarunt, quod eundem diversimode in historiis, vitio librariorum invenerint annotatum, ita ex Frotone duos quoque finixerunt, nempè Ingonem & Frotonem, indè potissimum seduti, quod ignorantes, Frotonis seu Fryeri, esse cognomen, Inge diversos existimaverint Reges.

Nota CCXXXIII. Gothus successorem vocat Sigtrugi falso Scarinum, cum nominatus fuerit Suarinus, ut prisca testatur Scondiae historia; indeque alter Goths proditur error, asseverantis Suarinum, Scaram fundasse, ac de suo nomine appellasse.

Nota CCXXXIV. Volens quoque Johannes Gothus, à veritatis historicæ deviat tramite, quando Gramum ex Catalogo Regum Sueticorum excludit; Siquidem manifesta contrarium doceat passim historia.

Nota CCXXXV. Sueciæ IX. Reges qui Suarino per ordinem successerant, in vetustioribus Scondiae Chronicis non desiderantur, legitimaque inseruntur serie, ac modo cum suis historiis.

Nota CCXXXVI. Illis porrò falsissimum, velut etiam sequentibus fermè omnibus Sueciæ Regibus, attribuunt annorum calculum, in suis Jacobus Gislonus & Achilles Gassarus, Chronologiis.

Nota CCXXXVII. Iisdem Hieronymus Henninges adnumerandus, quod falso afferat Asmundum MMCCCCCLX, & Hunningum MMMDCCLIV. Sueciæ Monarchs mortem oppetivisse. Cujus hallucinatio indè proditur, quod hi Principes post Christi natalem, non antè, floruerint, quemadmodum hactenus comprobatum est.

Nota CCXXXVIII. Nîmis erronea illorum est opinio, qui Hunoingo parentem tribuunt Sigfridum Saxoniæ Regem, & Scondiae prorsus contraria historiis.

Nota CCXXXIX. Ut mentitur Saxo p. 16. Hadingum Daniæ Regem, ab Uffone Sueonum, dolosè Upsaliam fuisse accitum, non potius sponte voti gratia satisfaciendi; Sic & Gothus lib. II. c. 12. veritati est injurius, quando affirmat Hadingum ab Uffone fugatum ex Sueciâ remeasse.

Nota CCXL. Nec verisimilis Goths narratio, inficiantis Uffonem ab Hadingo victore, sed à Suecis Upsaliæ tumulatum gloriantis.

Nota CCXLI. Tantundem veritatis habet assertio Saxonis pag. 16. & Crantzii, lib. I. c. 16. Suec. falso memorantium, quod Huningus Uffonis frater, beneficio Hadingi victoris, ad Sueticum sit promotus gubernaculum.

Nota CCXLII. Idem falsitatis quoque sunt accusandi, & corruptæ historiæ damnandi, quod Hunningum, casu, non deditâ operâ, in mulsi vas prolapsum contendant. ibidem.

Nota CCXLIII. Neque, ut iidem pag. 25. & lib. I. c. 17. ex invidiâ perhibent, Froto Daniæ Rex, astu vel astu Sueciæ, sed hujus armis occubuit.

Nota CCXLIV. Saxonis de Regnero historia, p. 20. plus habet fabularum quam rerum verarum.

Nota CCXLV. Filium Regneri & successorem, nomine Halvardum, & cognomine Hothebrotum, invenio appellatum.

Nota CCXLVI. Nemo candidus Historiæ censor Scondicæ, Helgottem ex catalogo Sueticorum poterit Regum jure aliquo expungere. Quod tamen plerique faciunt nostrates historici.

Nota CCXLVII. Certius est quam ut in dubium possit meritò vocari, quod Attislus ducta in matrimonium Helgonis filia, Sueciæ sceptrum obtinuerit sub tributo.

26 CENSURA CHRONOLOGIAE SCONDIANÆ.

Nota CCXLVIII. Non verisimiles assignat Johannes Gothus *lib. II. c. 19.* causas, acciti à matre Ursā, in Sueciam Rolvonis.

Nota CCXLIX. Circumferuntur quædam vetustatis fragmenta, quibus perhibetur Attislus, Sueciæ Rex, suum Danis canem præfecisse regem, istique ab aliis molossis diserpto, quandam substituisse bubulum, Snœ, vel Snio nominatum. Sed ea sunt deliramenta in odium conficta gentis Danicæ, immeritoque Christiernus Petrius in suo Chronico *fol. 9.* & Erasmus Lætus, *lib. IX. Magaretic.* Sueonibus propterea comminantur. Quandoquidem ea non minus aversentur nostrates figmenta, etiam ipse met Johannes Gothus, quam Danorum quilibet.

Nota CCL. Non sibi constat Saxo, in referenda Regis Attisli morte; Nam libro II. p. 28. ipsum a Biarcone cæsum confitetur, & libro III. p. 38. nimiâ illum ebrietate comminiscitur extinctum. Ita oportet mendacem esse memorem.

Nota CCLI. Veriorem tamen Saxo p. 28. causam advenientis in Daniañ Hiortvari, quam Gothus *lib. II. c. 21.* assignavit.

Nota CCLII. Hotherus, mortuo, non vivo fratre Attislo, Sueciæ in primis, & postea Daniæ, imperium naëtus est, qui adversarium habuit Hachonem Daniæ Regem, non Balderum, imperiteque Loheri & Hotheri confundunt Saxo, *lib. 3. Crantziusque lib. I. c. 17. Dan. historiam.*

Nota CCLIII. Idem, pari veritate *p. 42. & lib. I. c. 19. Dan. Suecos Danis faciunt vectigales, sub Hothero;* Quorum refutat calumniam prolixè, in suâ Gaddius oratione.

Nota CCLIV. Falso etiam *pag. 42. & lib. I. c. 22. Suec.* subrogant in Suecia Hothero Attisolum II. cum intercesserit Roricus ipsius genitor, & non credibile est filium parenti esse prælatum.

Nota CCLV. Sueci Danis, non econtrà, dominabantur, cum Roricus natione Suecus, Dianam Sueciæ subdiderit; continuò tamen in patria commorans, ternos habuerit successivè Regulos, in Dania sibi tributarios, prout Danica etiam fateretur historia.

Nota CCLVI. Falluntur magnopere, qui corruptos naëti codices historiæ Scondicæ, pro Rorico Hottersonio, legunt, scribuntque nimis depravate, Ottinsonium, & hinc statuunt Roricum Othini filium extitisse.

Nota CCLVII. Roricus in fata concedens, sceptrum Sueciæ filio linquit Attislo II, quem inter & Alricum non paucos desiderat Crantzius, *lib. I. c. 36. Suec.* propterea Reges, quod, cum initio suæ Daniæ asserat, Danum prius Vitis dominatum, quam Romulus sit genitus, & plus quam Anni DCCL transiverint inter Romulum & Christum, cui synchronus fuit Alricus, Saxonis testimonio, intereaque nimium pauci, Sueciæ ac Daniæ Reges in historiâ inveniantur, existimet omnino plurimos in utroque deesse catalogo, temporum injuriâ & hominum incuriâ prætermisso.

Nota CCLVIII. Verum supervacanea est ista Crantzii querela, cum irrefragabilibus sit alibi probatum rationibus, non tantum Dano temporis assignandum esse, nec Frotonis III. & Alarici ævo, Christum in mundo comparuisse.

Nota CCLIX. Crantzii porrò querimoniâ Gothus hujusmodi *lib. II. & IV.* commotus, ut probaret, nullum in Chronico esse Suetico defetum, IX confinxit Reges, & his simul historiam affinxit, taliaque nomina, Bothuidus, Carolus, Grimmerus, Thordo, Gotharus, Adulphus, Algothus, Ericus & Lindormus.

Nota

Nota CCLX. Quippè cum æra Dano & Frotoni, Alaricoque apposita, veritati fit contraria, quæ plures desiderat in Catalogo Reges, & alia vero similis, temporeque conveniens, regum numero bellè corresponeat, nec alios requirat; sicut etiam, cum nulla præter Crantzianam, Scondia historiæ, hujus faciat defectus mentionem, aut de talibus quidquam suggerat regibus, illos à Gotho esse conflictos, luce clarius est meridianâ.

Nota CCLXI. Quam Johannis Magni fraudem prius etiam animadvertisit, M. Laurentius Nericius, eamque Gotho, in suâ historia vehementer exprobrat, non acquiescens ipsius refugio, asseverantis, minus veraciter se hujusmodi regum memoriam & historiam, ex priscis Scondia piramidibus, obeliscis, ac heroum carminibus eruisse, cum nullibi regionum in Scondia prostent talia monumenta, quæ principum contineant historias, præter unam in Blekingia rupe, cui gesta Halda-ni solum, Danici Regis, incisa feruntur.

Nota CCLXII. Ipsamet quoque Gothi narratio, de præfatis instituta Regibus, dolum prodit; Siquidem tota fermè occupetur in laudatione bonorum, & malorum vituperatione Principum, Suecorum dominatione, & Danorum subjugatione.

Nota CCLXIII. Sed quam in historia sui Lindormii lib. IV. cap. iij. narrat fabulam, de suscepta per Julium Cæsarem contrâ Scondios expeditione bellica, eam lubens est mutuatus ex Chronicis Daniæ quibusdam, & præsertim Christierni Petri, fol. 21. & illo Anonymi, quod super auctum publicavit, Erpoldus Lindenbruchiūs p. 8. Cui solum, de suo addidit Gothus Archivo, illam currus Cæsarei fictam quoque inscriptionem: *Veni, vidi, fugi.*

Nota CCLXIV. Huitfeldius Tom. I. p. 13. in vita Fridlevi, cui talis cum Julio tribuitur confœderatio, eandem quoque improbat fabulam, hujusque authores, tanquam historiæ falsarios, accusat.

Nota CCLXV. Cæterum quæ Gothus p. 145. ibidem commemo-rat, de mercatoribus Jndiæ missos ex Suecia Metello Galliarum Præsidi, aliundè petivit, inque hoc duntaxat ille aberrat, quod isto mundi tempore, & à Lindormio, Jndos, contendat eò fuisse muneric loco alegatos.

Nota CCLXVI. Nec propterea Regum catalogus Suetorum, multus est statuendus, quod plures dicto temporis intervallo, Reges in Da-nia quam Suecia regnasse inveniantur. Enimvero Danos, credibile est, longævos non evasisse, præcipue, cum brevis admodum sit rerum ab illis gestarum narratio; Ast Suecos illis synchronos, proiectiorem attigisse ætatem, ut liquet de uno istorum Gestillo, qui adeò fuit senio confectus, ut duellum, quod Alaricus obtulit, jure censeretur recusasse propterea.

Nota CCLXVII. Quocircâ inter Attiflum II. & Alaricum Sueciæ Reges, non alios intercessisse Principes quam Hogmotum & Hogrimum, certò certius est statuendum.

Nota CCLXVIII. Gothus, more suo, in historiâ Regis Attifli, lib. II. c. 28. & 29. plurimum falsi commiscet, veris ibi narrationibus, in hac, reliquisque, per fas & nefas, patriæ laudem accumulare, ac principes illius studens celebrare. Quo etiam vitio Danicus laboravit Saxo, & Christiernus Petrius, quos Gothus æmulatus, Suecis passim iniquiores, omnes adhibet ingenii conatus vituperandis, vicissim Danis & Sueonibus laudandis, cœloque adæquandis. Sed hujusmodi non cadit æmulatio, in sinceros patriæ amatores, & candidos historiæ Scriptores.

Nota CCLXIX. Legitimâ post Alaricum successione, sceptro diu Suecorum fulgebant Ericus, cognomento Sapiens, Haldanus, Sivardus, Ericus, Haldanus, Unginus, Regnaldus & Froto. Nec his ullenus sunt admiscendi, Getericus, Philmerus, Nordianus, Hernitus, Ofantrix & Freyerus; Quod tamen plerique historicorum nostratium, ex ignorantia veritatis & antiquitatis, fecerunt, quos alibi confutavimus.

Nota CCLXX. Horum antesignanus est Johannes Gothus, qui miro hic utitur astu, dum lib. V. fictios hoc loco intrudere, & incauto lectori obtrudere conatur, quosdam illorum Gothiæ, reliquos Sueciæ, tribuens Reges.

Nota CCLXXI. In historia etiam legitimorum hoc ævo Principum lib. IV. c. 31. fallitur, quod anno Erici XXXIV, Christum in Iudea natum opinetur; Ita figmentum figmento cumulatur, & veritas obscuratur, huicque errorum architecto primam Saxo faculam prætulit, p. 86. qui sub Frotone III. Alarici & Erici synchroно, æram posuit Christianam.

Nota CCLXXII. Lapsus quoque graviter est Saxo, p. 82. hunc faciens Ericum, isto nomine primum, Sueciæ regem; Cum primus fuerit ille, qui Gothorum ex Scondia eduxerat, multis ab hinc seculis, exercitum.

Nota CCLXXIII. Nec ejusdem verisimilis narratio p. 92. de pugile instituta Starcatero, ut potè, in qua præter alia, numero multa paradoxæ, narrat illum sub Sivardo, Erici nepote, mirandis cœpisse facinoribus inclarescere, ac usque Haquinum seu Haugnum Sueciæ, & Oloñem Daniæ Monarchs porròque superstitem vixisse. Quandoquidem interea, XX. Suecis sunt Reges dominati, & ultimus ipsorum Hagnus Ring, plus quam annis centum regnarit. Quomodo igitur credibile est Starcoterum, tanto inter vivos tempore incolumem & vegetum permanisse.

Nota CCLXXIV. Starcaterum natione facit Estonem Saxo; Sed Gothus Helsingo-Suecum. Cui potius assentior, ob rationes quas lib. IV. capite VI. pro sua inducit sententiâ.

Nota CCLXXV. In suo M. Olaus Petrius Chronico afferit, Sivardum, Haldani filium, anno post Christum, C, & ipsius ex filia nepotem, Ericum, CLXXX. rerum in Sueciâ potitos; Sed cum temporis & veritatis injuria, istum facit computum, ut liquet ex præmissis argumentis.

Nota CCLXXVI. Quidam M. Henricus Gadolenus præfati abbreviator Olai, ut opinionem suffulcat aliorum, de Philmeri apud Sueones dominio labascentem, comminiscitur ipsum IV. Upsaliâ milliaribus, suum habuisse domicilium, ab eo Philm, vocatum.

Nota CCLXXVII. Magna est contentio scriptorum Scondicorum, quâ orti patriâ, & quibus nati sint parentibus, Habor & Signe. Nam Sueonum quidam, ut Laurentius Nericius, affirmat Signem fuisse Suecam, & Haborem Norvegum, huncque laqueo vitam finivisse, in quâdam prope Sigtuniam planicie, nomen ab eò hodie etiam retinente. Dani Signem sibi arrogant, quibus consentit Crantzus in suâ Dania, & Sueciâ, lib. I. c. 46. simulque Gothus lib. VII. c. 3. qui tamen Amundum Haboris parentem, Sueciæ statuit Regem, & filium Regnaldi. Sed verissima est sententia, quod Signe fuerit Dana, & Habor Norvegus; Cui etiam Crantzus, tandem se corrigens, in sua adstipulatur Norvegia, lib. I. c. 24. & fatetur Amundum Haldani, cognomine Bergram, extitisse filium.

Nota CCLXXVIII. Ob incendium Signis & suspendium Haboris, tantum inter Danos & Norvegos oritur bellum, ut in eo genus utriusque gentis, omne regium interierit.

Nota

Nota CCLXXIX. Noricorum partibus adhaerebant Britanni, quorum Rex Arthurus, hac invasit occasione Daniam & Norvegiam, Regibus destitutas, veluti Scotica & Anglica, immo & quædam Scondia historiæ, quam Huitfeldius, p. 201. de Juano conscriptam, in Chronico citat Regis Johannis, contestantur.

Nota CCLXXX. Multo Angli & Scotti tempore, Danis, Norvegique imperarunt, de quorum dominio, nè verbum quidem habet Saxo; Quo cum etiam Crantzius per aliquot sileta secula. Interim porrò in Suecia XII. sunt Reges dominati, videlicet Froto II, Fiolmus, Svegderus, Valanderus, Visburus, Domalderus, Domarus, Digvius seu Dignerus, Dagerus, Agnus, Alricus II. & Ingo, quos Norvegica rectius quam Suetica enumerat historia.

Nota CCLXXXI. Paucis Saxo verbis meminit Frotonis lib. VI. p. 94. de reliquis XII. altum tenens silentium, velut etiam Crantzius. Nam a Regnaldo usque Alverum magis sunt muti quam pisces.

Nota CCLXXXII. Urbarum & Ostenum falso quidam Frotoni successores assignant, ut supra demonstratum; Sed Fiolmus illi filius est subrogandus, de quo, sequentiumque non paucis, multa Gothus lib. VII. comminiscitur, quem propterea Laurentius Nericius merito sanè repræhendit.

Nota CCLXXXIII. De Suegderi seu Suercheri facinore in petram, ternæ sunt opiniones; sed ego sententiam sum amplexus Chronicæ Norvagici, fol. 5. ceu vero similiorem.

Nota CCLXXXIV. Quod ipsum facio etiam in historia Valanderi, nostratum de ipso aversans narrationes, & præcipue Johannis Gothi, quas propter, una mecum Laurentius Nericius, Gothum falso deridet.

Nota CCLXXXV. Consultius veritati duxeram, ex eodem Chronico Thiodolphi Norvegico, fol. 7. trium quoque sequentium in Suecia regum, petere historiam, quorum ultimus, dicitur in Furingsvaldio tumulatus, hoc est in campo propè novam Upsaliam, multis regum bustis conspicuo.

Nota CCLXXXVI. Inter Domarum & Dignerū nostri perpetram collocant, Attilum, seu Attisum, cum sit idem cum Attislo primo, ut communis testatur historia; ideoque qui eum ibi posuerunt, hoc illum loco pertranseunt, & econtrâ.

Nota CCLXXXVII. Post Dignerum sequitur Dagerus, in cuius historia malui Laurentium Nericium, quam sequi Thiodolphum, fabulæ hoc loco mihi suspectum.

Nota CCLXXXVIII. Veram tamen historiam tradidit Agnii, Dagero nati, quem nostrates omittunt, & cum Ingemaro, seu Ingone confundunt, hunc falso afferentes suspensum, ubi hodiè prostat Stocholia; siquidem peninsula ab illo fuit diu appellata, Agnefit, non Ingennes, velut patroni contrariae finxerunt sententiæ.

Nota CCLXXXIX. Suetica etiam historia commiscet Alaricum patrem, cum Alvero filio, quos Norvegica rectius distinguit.

Nota CCXC. Nugas aspernatus Saxonis, Crantzi & Johannis, plurima ex suis hic cerebris commiscentium, & Ingonom, Ingemarum & Ingellum, Alverumque turpiter commiscentium, Thiodolpho subscribendum duxi, qui fol. 8. & 9. ordinatus procedens, Alvero, Huglerum filium, & huic Norvegum Hachonem, demumque Ingonis natum Jorunderum, subrogat,

Nota CCXCI. Haquini porrò sequentis historiam ex Saxone, Crantzio, Johanne & Thiodolpho, compilavi, non hoc solo, quod nonnulla habeat contraria tempori, falso *fol. 10.* commemorans Olaum primum & Haldanum II. Daniae Reges, Haquino bellum intulisse, qui plurimis antè ipsum annis vixerunt; Plura tamen habet paradoxæ Danicus Saxo, *lib. VI.* ex quo proinde solum probabiliora selegi, & hinc meam de Haquino Haraldoque narrationem compagi.

Nota CCXCI. Civitatem Gothiæ, Calmarnensem, hoc extitisse tempore, videtur Saxo indicare, *p. 31.* idque si verum, grande profecto, habet ea vetustatis testimonium. Sed quam profert Olaus Magnus *lib. IX. cap. XXI.* nominis interpretationem, falsam prorsus existimo.

Nota CCXCIII. Egillus, non auxilio Frotonis regis Danici, ut Chronicon falso narrat Norvegicum, *fol. II.* cum ille dudum antea vixerit; sed Omundi, colluviem rebellium, compescuit, & filius Otharus, cognomen sortitus fuit Vendelkraca, non Egillus, ut Suetica sentit historia. Saxo autem & Crantzius, nullam faciunt Egilli mentionem.

Nota CCXCIV. Othari tamen non oblitiscuntur, de quo non pauca illi, sicut etiam Gothus *lib. VIII. c. 16. 17. 18.* & Thiodolphus, *fol. 12.* comminiscuntur, ex quibus aliisque ego credibiliora sequor, figura respuens.

Nota CCXCV. Nec assentior Gotho, qui sub Otharo, Longobardos asserit ex Scondiâ progressos. Qua de re mihi cum ipso aliisque copiosior alibi futura est disceptatio. *ibid. c. 21.*

Nota CCXCVI. Fastonem & Gudmundum, Johannis Gothi Reges, syncerior Sueciæ historia, Otharo non admittit successores. *ibid. c. 21.*

Nota CCXCVII. Saxo, *lib. VIII. p. 141.* Adeli non exprimens nomen, licet sororius fuerit Jarmerici, vocat Regem Helleponiticum, idque quam ob causam, in mea declaravi Chronologiâ. Sueciæ & Norvegiæ scriptores, nomen exprimentes, fabulis historiam Adeli obscurant, & præsertim Thiodolphus, *fol. 13. & 14.* qui cum Philmero & Attislo primo, illum imperitè confundit. Ex probabilioribus omnium, ego narrationem de Adelo conflavi.

Nota CCXCVIII. Neque Jarmericus Sueciæ fuit throno potitus, velut Saxo *p. 140.* vigilans, lubensque somniat.

Nota CCXCIX. Ostenus Adelo successit parenti, prout Suetica & Norica fatentur historiae, quem hæc *fol. 15.* synchronum minus rectè facit Rolphoni Daniae Regi, multis prius seculis in rerum natura existenti. Verum Saxo non meminit Osteni.

Nota CCC. Ingemarus, seu Jnguardus, paternum consequutus imperium, viatoriosus evasit moderator Sueciæ, Daniæque; quemadmodum ex illius verissimè constat historiâ, quam ex selectioribus comportavi Scondicorum relationibus Chronographorum.

Nota CCCI. Filius Ingemari, & immediatus in regno Sueciæ fuit successor Amundus, ut omnes nostri testantur historicæ, præter Johannem Gothum, qui *lib. 8. XXI.* interserit his nominibus Reges: Holstnum, Biornum, Ragvaldum, Suartmannum, Tordonem, Rodolphum, Haethnum, Attilum, Tordonem, Algothum, Gostagum, Arthum, Haquinum, Carolum, Carolum, Birgerum, Ericum, Thorillum, Biornum, Alaricum & Biornum.

Nota CCCII. Impulit verò Gothum *p. 251. & 301.* ad istos commiscendum Reges, querela Crantzii libro II. & V. Sueciæ, instituta adversus Saxonem, quod ab anno post Christum, CCCLXXXII, quando

Lon-

Longobardi proruperant ex Scondia, usque DCCLXXIV. quo ipsorum in Italia regnum sortiebatur finem, nullos ille assignaret Sueonibus reges, & Danis ternos solummodo; licet interea temporis Longobardi foris mundum obvagantes, XXXII. habuissent.

Nota CCCIII. Etenim, ut tantum propterea defectum in patria suppleret historia, & hanc Danicam multò esse integriorem doceret, tot de suo confinxit cerebro Principes, quibus ternos ex Sueciæ addidit Chronico, ut ad XXVI. ascenderent numerum, Longobardorum aliquomodo respondentem. Istud porrò Gothi facinus in historiâ, veritatis magistrâ, summoperè profecto execrandum, quod dissimulans callide, libro VIII. capite XXVI. sui operis, tam prolixum propter catalogum non modice triumphat, & Saxoni Danisque insultat aliis, ac multam in historiâ eclipsin illis exprobrat.

Nota CCCIV. Sed nec Alberto Crantzio querendi ansa, nec Gotho fingendi, contigisset, si uterque considerasset, Longobardorum sub Sniione egressionem, falso positam esse, & non minus Saxonem in hujus calculo temporis, quam in æra nati Salvatoris sub Frotone III. & Erico II. figenda, hallucinatum.

Nota CCCV. Si etiam ille Sueticum consuluisset Chronicum, non Saxoni solum confidens, & hic eidem adhæsisset, quod interim tot producit Reges, quot Danicum, ut indè liqueat manifestissime, neutrum hoc loco catalogum habere defectum.

Nota CCCVI. Si præterea perpendisset Crantzius, quod intollerabilis esset Saxonis negligentia, si tot prætermisisset in suâ historia Reges, & præsertim Danicos, quorum ex professo scriberet Chronicum, idque mediocri hactenus diligentia contexisset, plus subinde quam foret æquum addendo, non subtrahendo.

Nota CCCVII. Nec minus hac ex parte culpabilis, quod rerum notis, rarissime temporis, addat, & has quidem tales, ut magis alias obscurent quam illustrent, velut ex isto Saxonis constat de Longobardis calculo, qui non Sniioni, verum alicui regum fuisset, prius multo Scondiis imperanti, apponendus. De quo alibi copiosius mihi agendum, nunc Gothi reges paulisper discussuro.

Nota CCCVIII. Non Biornonis rapuit Snio conjugem, sed Ingemari, quem hic non minus vindicavit raptum, quam Agamemnon Helenæ, fictaque est tota de Ragvaldo, Svartmanno & Thordone, quam habet Gothus lib. 8. c. 28. 29. & 30. narratio, ac mera gentis Danicæ fugillatio. Venia porrò non indignus aliquâ videtur ille, quod Saxonis hoc loco, & tota passim Dianæ historiâ, gravissimis, fætidissimis & mendacissimis, in Suecos Gothsque calumniis, vehementer provocatus, & irritatus, calumnias calumniis, & mendacia mendaciis compensanda existimat.

Nota CCCIX. Rodolphus & Hathinus, quos prioribus subjunxit Gothus, ibid. cap. 32. & 33. non ad ista spectant tempora, sicut infra probabimus; Nec Procopius p. 94. ex quo Johannes istum est mutuatus, vocat illum Hathinum, sed Datinum; Et propterea non verisimilis est Gothi cap. 33. secunda propositio, Hathunam, Sueciæ olim regiam, ab eo fundatam & nominatam falso contendentis.

Nota CCCX. Quam habet cap. 39. de facto Gostago, nimis est acerba narratio, & illustres quasdam perstringit personas, velut etiam animadvertis Laurentius Nericius.

Nota CCCXI. Nec aliis est Arthus Britannicus, à Scondico, licet

32 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

Gothus cap. 41. id asseveret, frustrà provocans ad historiam Jvani, cum ea prorsus ipsius sit assertioni contraria.

Nota CCCXII. Similiter quæ memorat Gothus lib. 17. c. 1. & 2. de Biorni & Caroli Magni, contra Geticum fœdere, pœconibusque Evangelii sub Biorno isto, in Sueciam à Carolo expeditis, nec tempori, nec personis, nec veritati, ulla tenus consonant. Siquidem fœderationis nulla facit alia Scondiæ historia mentionem, ut neque legationis, ab utroque missæ, vel prædicationis Evangelicæ, quæ post obitum Caroli, primo contigisset Sueonibus, ut alio commodius loco demonstrandum. Ipsem etiam Gothus in sua Metropoli, non satis hujus memor figmenti, affirmat regnante Biorno Regneri filio apud Sueones, his pœfatam Evangelii gratiam contigisse. Ex quo præterea libro constat, velut quoque longè manifestius ex historia M. Adami, p. 23. deinceps producenda, quod Heribertus, non à Carolo in Sueciam modò fuerit transmissus; sed multo post tempore, per S. Ansgarium huc adductus.

Nota CCCXIII. Gothis proindè Regibus, cum historia eorumdem, vel potius fabula, hoc loco prætermisss, Ingemaro legitimè Amundum subrogo. Deinde per ordinem sibi convenienter ad Sueciæ gubernaculum succedunt; Sivardus, Herotus, Ingellus, Carolus, Bero seu Biornus, Anundus, & Olaus, cognomento Tretelga. Jamque Catalogo Regum Danicorum nos accingemus, aliquantulum quoque ventilando.

Nota CCCXIV. Quod perfectiore suorum catalogo Regum Dani hactenus sint usi quam Sueones, Saxoni acceptum referant, qui Danicam ex professo, non Sueticam scripserat historiam.

Nota CCCXV. Magno ea honori Danis esset, nisi fabulis tantopere passim turgeret, ut candidi ejus lectors, ac æstimatorum, quos interest Ludovicus Vives, protestentur, se ignorare, an sit mythologia vel alethologia.

Nota CCCXVI. Lubens proindè assentior Andreæ Vellejo, qui suo in Saxonem Danicè translatum proloquo, affirmat, eo ipsum esse pacto historicorum principem Scondicorum, quo Homerus Poëtarum Græcorum; Ubi simul Herodoto illum comparat fabularum plenissimo, & idem alibi, sicut quoque Huitfeldius, conferunt illum Martialis. Quâ profectò comparatione, magis Saxonem falsitatis accusant quam excusant, cum historica narratio, qualem sibi arrogat Saxo, à poëtica quam Homerus & Martialis adferunt, integrum, ait Herodotus mixtam, tantum differat, quantum veritas à mendacio.

Nota CCCXVII. Ideò poëtas poëtis, & historicos historicis, retius conferre solemus, atque cum Saxo non omnino poëticam, nec omnino historicam habeat narrationem; sed ex veris & falsis commixtam, qualem Herodotus pro sui conditione seculi, contineat, meritò ipsi Saxo assimulatur.

Nota CCCXVIII. Aliis præterea Saxo laborat vitiis, nimirum quod plus æquo suam efferat nationem, omnibus ipsam pœferat gentibus, has contemnat, calumniis oneret, & Danorum quasi pedibus substerat, licet in rei veritate nullo prorsus laudum genere, Danis pleræque fuerint unquam inferiores.

Nota CCCXIX. Cum non pauca simul Scondiæ documenta vetustatis habeat Saxo clarissima & nostræ utilissima historiæ, non omnino à nostris est negligendus Chronographis, sed figuratis privatus & veluti castratus in usum historiæ conferendus, quod Albertus Crantzius, in suo passim opere, & Huitfeldius in pœfatione Tomi primi, se confitentur factitasse.

Nota

Nota CCCXX. Idem ego mihi faciendum, in mea censui Chronologia, & præsertim historia, quam de LVI. Daniæ conscripseram Regibus, per octingentos Christi natalem annos proxime sequentes in ea potenter dominantibus, ita sibi succedentibus, & hæc nomina habentibus: Gramus, Suibdagerus, Guttormus, Hadingus, Froto II. Haldanus I. Roë, Hotebrotus, Helgo, Rolpho, Hacho, Fridlevus I. Hotherus, Roricus, Horvendillus. Feugo, Ambletus, Vicletus, Vermundus, Uffo, Dan II. Hugletus, Froto III. Dan III. Fridlevus II. Froto IV. Hiarno, Fridlevus III. Froto V. Ingellus, Olaus I. Haraldus I. Froto VI. Haldanus II. Haraldus II. Ungvinus, Sivaldus, Sigarus, Sivaldus II. Arthus, Haldanus III. Haraldus III. Haquinus, Olo, Omundus, Sivardus I. Buthlus, Jarmericus, Broderus, Sivardus II. Snio, Biornus I. Haraldus IV. Gormo I. Getricus, & Olaus II.

Nota CCCXXI. Ut Sueciæ Reges se olim Upsalenses, ita Daniæ scribebant se Letrenses, à regiâ sui regni potissima; Quos antequam copiosius examinavero, litem cum Vellejo prius transfigam. Is siquidem falso vocat Saxonem loco nuper citato, patrem Historiæ Scondianæ, cum hanc sibi prærogativam jure vendicent potiori, Thiodolphus Frode, in Suecia, qui multo prius tempore Inglingorum; quidam Torgilsonius in Dania, qui Scholdingorum, ac Evinderus in Norvegiâ, qui Hemingerorum, Halegjatal vocatam, conscripserunt historias. Sicut etiam istis vetustiores quidam Scondiæ scriptores, quos in Chronicone nominatos S. Olai, Retorsio adversus Petrum Rosefontanum p. 14. coñemorat.

Nota CCCXXII. Suibdagerus, Grami fuit sororius, non filius, velut Danicæ quædam falso narrant historiæ.

Nota CCCXXIII. Fallitur etiam Crantzius, afferens lib. I. Dan. c. 6. & 7. quod Suibdagerus externorum primus Daniam subegerit, cum Dan fuerit alienigena, Othinus, Freijerus, seu Froto, qui prius Danis sunt dominati. Non produco illorum testimonia, qui Vitos multis seculis antè Danum nunc Gothis, nunc Saxonibus, & nunc Britonibus fuisse subjectos, fatentur.

Nota CCCXXIV. Nec Othinus sub Hadingo, Scondiis primum innotuit, prout Saxo p. 12. comminiscitur, quod alibi commentum refutavimus.

Nota CCCXXV. Suecis nunquam Hadingus fuit dominatus, ut neque Huningum iis regem præfecerat, licet Saxo p. 16. & Crantzius lib. I. c. 16. Suec. ab eo seductus, utrumque asseverent, quos ipsamet confutat historia, candidè interpretata.

Nota CCCXXVI. Ejusdem Saxonis absurda non minus est sententia, quod Froto II. Scotiam armis subactam, sororio in dotem assignaverit, indeque nomen sortitam, quod Scotus ille appellaretur. Quæ proindè opinio, non Scotiæ solum historicis, Scotos à pictura corporis nominatos sentientibus, magnoperè displicet; sed ipsamet etiam Huitfeldio, Tom. I. p. 7. Saxonis conterraneo.

Nota CCCXXVII. Non obscurè liquet ex Chronicô Lindenbruchii pag. 4. quod Hotebrotus proprio fuerit nomine, Halvardus nuncupatus.

Nota CCCXXVIII. Nullo excluditur jure Hotebrotus, ex Regum catalogo Danicorum, cum rerum apud illos sit potitus.

Nota CCCXXIX. Quidam Sueonum indignati meritò Danis, propter iniquissimam ab Helgone legem suis obtrusam majoribus, ut i-

psos contumelia vicissim afficerent nonnulla, vulgatam de cane, Danis in regem assignato, fabulam confinxerunt; ita mihi videtur.

Nota CCCXXX. Hiortvaro, frater Hacho est substituendus, quo cum Hotherus, non cum Baldero, de Nannæ connubio Norvagicæ beligeravit, & sponsam, Daniamque simul impetravit.

Nota CCCXXXI. Hanc tamen quidam Fridlevus prior invasit, quam paucò retinuit tempore. Cæterum Hachonis & Fridlevi, perver tus authenticaque Daniæ historia quædam, meminit: sicut etiam Huitfeldius in vita Rolphonis, p. 9. non autem Saxo, cuius silentium haud magni faciendum.

Nota CCCXXXII. Inter Hotherum & Roricum non legitimè Balderus & Othinus collocantur, quod inter primos Daniæ reges, velut suprà comprobatum, sibi locum vendicent.

Nota CCCXXXIII. Quid suadeat veritas de Fridlevi II. cum Julio Cæsare discordia, & reconciliatione, confœderationeque, velut etiam quid falsitas à quibusdam in Scondiæ Chronicon his de rebus intrusa, loco alio indicavimus.

Nota CCCXXXIV. Ibique simul veritatis causam egimus contrà illos, qui cum maxima temporis injuria Frotoni IV. illud tribuunt immerito beneficium, quasi nascentis Christi anno regnavisset in Scondiâ.

Nota CCCXXXV. Sed paululum regressus invenio Vicietum, Rorico fuisse genitum, & fratrem propterea habuisse Attislum Sueciæ regem; Qui tamen Veremundum Vicleti filium postea impugnavit.

Nota CCCXXXVI. Vero conformior est illorum sententia, qui Unguino parentem tribuunt Haraldum I. & avum maternum Regem Gothiæ, Carolum, quam reliquorum.

Nota CCCXXXVII. Nec illi rectum sapiunt, qui posteros Norvegiæ reges, Amundo, Haldani filio, gloriari genearcha contendunt. Et enim tota Amundi progenies, in bello quod contrà Danos gesserat, Haboris vindicaturus suspendiū, interiit. Deinde qui genealogias illorum conscriperunt, veluti Thiodolphus ac Evinderus, aliique non pauci, ad Amundum ipsas Olai Tretelgæ filium traducunt, qui fuit unus Inglingorum, vel ad Hemingum ascendunt, Othini filium. Porro Saxonis Amundus, paternum ex Schioldungis genus traxit.

Nota CCCXXXVIII. Quod Angli & Scotti, postquam Dani ac Norvegi, propter Haboris Signisque interitum se mutuis cladibus obruissent, eorum occuparint regna, ex vetustioribus Scondiæ & Britaniiæ Chronicis evidentius est, quam ut in dubium vocari possit.

Nota CCCXXXIX. Tanto autem tempore Dania peregrino sub jacuit dominio, ut nequaquam sit credibilis assertio Saxonis, p. 115. 120 & 122. interea Geuritam Alphii filiam & Sigari neptem supervixisse, & tandem Haldano nupsisse. Atque XII. isto temporis intervallo, Stiecis sunt reges dominati, & dubio procul, non pauciores interim Danis Norvegisque, antequam illi ex indigenis sibi Principes delegissent.

Nota CCCXL. Inconstans quoque Saxonis est narratio his de rebus. Nam lib. VII. p. 115. Haraldo Hildetan assignat parentes, Borcarum Alphii, & Gro Alvildæ, comites. Deinde pag. 121. asseverans, Borcarum ex Drotæ Norvega genuisse Haldanum, confitetur Borcarum Haldani & Haraldi fuisse parentem, & non istum fuisse illo genitum. Denique pag. 124. Haraldum Haldani & Geuritæ filium esse, prioris non sat memor assertionis, statuit.

Nota CCCXLI. Quomodo ista cohærent, Saxonis committo sectatoribus

toribus ac defensoribus examinandum. Ego sanè arbitror Geuritam non Alphio natam, sed à remota ipsius progenie satam, Haldano post multum temporis nupsisse & Haraldum genuisse.

Nota CCCXLII. In hujus vita non minus absurdas habent fabulas, Christiernus Petrius & Lindenbruchius, p. 14. quibus demiror Huitfeldum non vehementius refragari, cum tantum ostentent falsitatis, quantum sol in meridie claritatis.

Nota CCCXLIII. Qui syncero examinaverit judicio, historiam Daniæ, non alibi majorem in ipsa defectum, quam inter Sivaldum II. vel Arthum & Haldanum depræhendet. Non competenti proinde loco Crantzius lib. IV. c. 1. & Huitfeldius p. 27. mutilum esse catalogum regum Danicorum, queruntur.

Nota CCCXLIV. Paradoxo vel potius mendacio persimilis videtur assertio de Hetha, quod ipsam partibus adhæsisse Haraldi, & nihilominus à victore Haquino Daniæ sceptro memoret ornatam, Saxo Danicus pag. 133.

Nota CCCXLV. Daniam à Vissimiro Slavorum seu Polonorum Duce subactam fuisse, ac Sivardum illius Regem, magnopere in ordinem à Slavis esse redactum, præter alias Vandaliæ ac Slavoniæ scriptores, testatur Bernhardus Vapovius, quem Cromerus allegat. lib. II. p. 19.

Nota CCCXLVI. Verum quod ibidem afferat Gedanum Prussiae oppidum à victore fundatum & nominatum, Vissimiro, ex victis Danis, fidem non meretur; Quandoquidem Sondica Prutenicaque historia, certiorem de hac re proferat narrationem, alibi ostendendam.

Nota CCCXLVII. Porrò quintus à Sivardo Danis imperabat Snio, cuius tempore, quod Saxo p. 144. Longobardos hinc progressos fabuletur, & ipsi XXXII: habuerint reges, ad Caroli usque Magni tempora; ast interim Dani solummodo quatuor, Crantzius & Huitfeldius non paucos propterea in regum catalogo Danicorum desiderant, frustra tamen. Si quidem potius dicendum sub prioribus illam regibus egressionem contigisse, quam tot reges in catalogo prætermisso, esse querendum, cum illud credibilius, & Saxon ex consuetudine facilius.

Nota CCCXLVIII. Quo autem eruperint hinc tempore Longobardi, varia est scriptorum opinio. Nam translator Saxonis Germanicus annum Christi CCLXXXVI statuit. Crantzius lib. 2. Dán. cap. 20. CCCLXXXII. & subinde CCCLXXXIV. Raphael Volateranus DXX; Christianus verò Petrius DCLXXXVI. Sed prima Crantzii assertio omnium verissima, utpotè, quæ tempori magis conveniens, gravissimum nitatur virorum autoritate, videlicet Eusebii, Hieronymi, Florentini, Pauli Diaconi, Prosperi, Matthæi Palmerii & Blondi.

Nota CCCXLIX. Qui uno simul affirmant ore, Longobardos ex Scondiâ, non sola progressos Scaniâ, Scondiæ provincia, ut Saxo p. 143. & Crantzius p. 41. somniant; Ac licet his assentiremus, tamen Dani Longobardos sibi nullo possent modo arrogare, cum eo Scania tempore Suecis solum obtemperaverit, velut adversariorum testatur Historia.

Nota CCCL. Nec minus corrixantur scriptores de Longobardorum nomine. Nam fortuitò Paulus Diaconus, hoc ipsis à Friccone, seu Freyero inditum numine vocabulum, perhibet: Alii per convitum ab exteris ita vocatos nationibus, quasi bardos proceri corporis, hoc est stupidos & ineptos; Quod profectò Ethymon, non promeritâ gentem afficit clarissimam injuriâ.

Nota CCCLI. Quidam porrò, quos interest Albertus Crantzius;

pag. 41. sic dictos volunt, quasi longos barbaros. Cæteri verò à barbarum ita nuncupatos prolixitate, contendunt.

Nota CCCLII. Sed falluntur omnes, cum hujusmodi sint nomen Longobardi hinc fortiti, quod prælongis instructi bipennibus, quas Sondii vocant hillebardar, in transmarinas eruperint regiones, Vinuli prius appellati, ex provincia Sondiæ ex qua potissimum egrediebantur.

Nota CCCLIII. Omissis in mea Chronologiâ fabulis, quibus Saxon historiam Gormonis I. fœdè admodum obscurat, ex reliquis succinctam de ipso complector narrationem. Quod ipsum eandem ob causam, sibi Crantzius *p. 44.* duxit faciendum.

Nota CCCLIV. Fabulæ etiam similis videtur relatio, quam Christiernus Petri suo de XII. regni Danici excellentiis instituit libello, memorans quandam nomine Ulgerum Dansche, Caroli Magni tempore Palæstinam, & omnia hinc usque in Indiam sibi regna subdidisse, ibique presbyterum Johannem liquisse successorem; Ac proindè nullum ex Imperatoribus tam præclare meritum de Christiana orientalis Ecclesiæ religione, quam sit Ulgerius.

Nota CCCLV. Nam licet ad testimonia provocet Vincentii, Bartholomæi Anglici & Anthonii Florentini; tamen quod fide magis digni scriptores, secus dis de rebus testatum reliquerint, illa admittere, veritati consultum minimè videtur.

Nota CCCLVI. Mecum sentit Huitfeldius in vita Henningi, *p. 35.* asseverans minus credibilia esse, quæ Gallica narraret historia, per Christiernum Danicè versa, de Ulgero & Rolando, & verisimiliora multo de iisdem, Turpini Chronicon memorare.

Nota CCCLVII. Nec tantâ contentus imposturâ Christiernus, quam aureis historiæ Danicæ inscribendam literis, afferit, aliam adjungit, velut basim prioris. Etenim mendacissimè differit, Olaum Gotrici filium, cum Ulgero eundem esse censendum.

Nota CCCLVIII. Sed Petrus Rosefontanus non minor sanè impostor, & patriæ adulator quam Christiernus, Ulgerum cum Hengingo confundit Olai successore. Quem propterea Huitfeldius merito reprehendit.

Nota CCCLIX. Translator Saxonis anonymous, Henningi seu Hemingi tribuit regimini XXV. annos, quod V. solum continuuit. David verò Chyträus, Hemingo thronum assignat DCCCXVI, quando in sepulcrum incidit. Sed Chronicon Norvegiæ, ad sui nos vocat contemplationem.

Nota CCCLX. A primo restauratæ per Christum salutis nostræ seculo, usque annum DCCCLXX, supremum in Norvegia dominium, sequentes XLII. Principes obtinuerunt. Nempè Suibdagerus, Asmundus, Uffo, Hadingus, Haquinus I. Gevarus, Haquinus II. Herletus, Geritus, Collerus, Frogurus, Rusila, Gotarus, Rollerus, Asmundus II. Vicarus, Helgo, Hatherus, Amundus, Hacho, Lothus, Regnaldus, Gunnarus, Hildegerus, Olaus, Sivardus I. Ringo, Omundus, Trondo, Rusila II. Gotha, Sivardus II. Sivardus III. Regnerus, Biornus, Haldanus, Ostanus, Haldanus II. Gudrotus, Olaus II. Haldanus III. & Haraldus, cognomento Pulchricomus.

Nota CCCLXI. Evinderus Schallaspieler ab Haquino rogatus maligno, nono post Christum seculo primarios Norvegiæ Reges, ex professo descriptis. Indè autem Saxo illos solum produxit, & in suam induxit historiam; quibus cum Dania Reges quidpiam haberent negotii, memo-

memoria digni. Unde liquet, perfectum in Saxone vel Crantziō, catalogum non praestare Noricorum regum. Quem tamen ego per annos sequi DCCC sum ideo compulsus, quod Chronicum Eynderi haec tenuis non obtinuisse.

Nota CCCLXII. Post annum porrò DCCC. deficientes passim in catalogo Saxonis, Crantziique Reges, ex historia Thiodolphi & aliorum Chronicis, fideliter supplevi, adeo quod nullus deinceps Regum Noricorum in mea desideretur Chronologia, & respectu omnium reliquarum sit absolutissima.

Nota CCCLXIII. Piores hujus regni Monarchæ, Tronvanges se Reges, non Norvegiæ, appellarunt, quod Tronvangia, tanto Noricis in honore foret, quanto Upsalia Suecis, & Letra Danis, eodemque existerent tempore.

Nota CCCLXIV. Progressu temporis Tronvangia, immutato paululum nomine Tronhemia cœpit appellari, quasi domicilium Trondonis, non Dryadum, velut Jacobus Ziglerus p. 485. fabulatur. Cæterum Norvagice Tronhem & Latine vocatur Nidrosia, quam à Nidiâ fluvio ibi præterlabente, & Rosa frontispicium Ecclesiæ Cathedralis plurimum decorante, olim sortita fertur appellationem.

Nota CCCLXV. Crantzius lib. I. c. 9. Norvegiæ regibus adnumerat perperam Frotonem, cognomine Vegetum, Daniæ monarcham, cum nè Saxo quidem illud asseverare præsumperit.

Nota CCCLXVI. Verum quod Lothus Scotiæ princeps, throno sit Norvegiæ potitus, post Amundi & filiorum cladem nimis miserandam, hactenus aliquoties liquidò probavimus. Quanto autem tempore peregrini ad clavum federint Noricum principes, historiæ non exprimunt, quas in hac re imitamus.

Nota CCCLXVII. Alio tamen loco ponit Crantzius lib. I. c. 34. defectum in historia Norvegica, quem non raro confutavimus, & declaravimus, plus in illa desiderari tamen quam annotari. Atque hæc in declarationem historiæ sufficient, quam de regibus Sueciæ, Daniæ ac Norvegiæ, per octingentos à Christi adventu in Scondiâ regnantibus annos, breviter conscripsimus, nunc ad calculos regrediamur, horum ventilationem à primo Salvatoris seculo auspicantes.

Nota CCCLXVIII. Insignis est Legendæ, ut vocant Suecicæ, halucinatio, quod asserat Philippum, ex XII. Apostolis unum, Sueonibus Christum annunciaſſe, ac idolatriam Upsaliæ penitus extirpasse. Hinc verò iste profluxit error, quod scriptor libri confuderit Scythiam Asiaticam, in quâ Philippum constat prædicasse, cum Europæa Scondica, in quam nemo accessit Apostolorum, quæque longo post tempore vocem Evangelii auscultavit.

Nota CCCLXIX. In propinquis tamen Scondiæ trans Oceanum regionibus, Apostolorum tempore, quendam ex illorum discipulis docuisse, Ecclesiastica Germaniæ historia, Crantzius, principio suæ Metropoleos cap. I. Johannes Echius in homelia de S. Petro, Andreas Velleius scholiis in Adamum ad lib. I. c. 7. & Huitfeldius Tom. 2. p. 33. magno consensu testantur.

Nota CCCLXX. Plurimum habet falsitatis & parum veritatis, narratio Pauli Longobardi, & Olai Gothi lib. I. cap. III. de dormientibus in littore Norvegico. Enimvero non velut dormientes Ephesini, corporibus incorruptis perdurarunt; Quod tamen Paulus & Olaus falso narrant, sed communi defunctorum more computruerunt, ut per-

vetus Norvegiae Chronicon nobis fideliter suggerit, & ipsum simul Breviarium Nidrosiense.

Nota CCCLXXII. Vera itaque est assertio, quam M. Adami profert Scholia, referens ex comitatu illos fuisse, tempestatibus illuc dispersos, S. Ursulæ, vel Romanorum Virginum porrò illarum primaria fuit B. Suniva, & cum suis in Norvegiam delata fuit comitibus, anno Christi CCCXC. Reliqua de his Breviarii Nidrosiensis, veritati magis consonat narratio; Ad quam propterea, lectorem uberioris cupidum relationis, remitto.

Nota CCCLXXIII. Venerabilis Beda, lib. I. cap. 15. historiæ Ecclesiastice, adventum enarrans Othinianæ in Angliam progeniei, tempus non recte adnotat, cum anno CCCLXXXVIII. non CDIX. contigerit illa gentium migratio.

Nota CCCLXXIV. Verum quoad heptarchiam Anglicam, sua inde sortitam primordia, consulendi sunt Matthæus Westmonasteriensis & Vigorniensis, fol. 166. & 174. in multisque quantum ad genealogiam pertinet Othinianorum, corrigendi.

Nota CCCLXXV. Herulorum in Sondiam, Procopius lib. II. belli Gothicæ p. 92. describit legationem, & Regis inde postulationem.

Nota CCCLXXVI. Sed Rodolphum Gothiæ Regem ex Sondiam in Italiam secessisse, testantur Paulus Diaconus & Jornandes. p. 596.

Nota CCCLXXVII. Quod Sondiorum nonnulli, Toletano subscripserint concilio, fatetur Wolfgangus Lazius. lib. 10.

Nota CCCLXXVIII. Quæ nostra porrò memorat Chronologia de S. Sebaldo, ex historiis sunt desumpta Gallorum & Chronico Divorum fol. 130. quod Saxonice scriptum circumfertur. In hoc autem non convenient scriptores, quod illum nonnulli Regis filium Suetici, quidam Gothicæ, & reliqui statuant Danici. Sed ego meæ ipsum Gothiæ, censui adscribendum.

Nota CCCLXXIX. Hinc non obscure liquet Christum Sondii, antè Caroli & Ludovici Cæsarum tempora innotuisse. Immò Andreas Vellejus, in suo ad caput VII. Adami Scholio, affirmat, Danos in Angliâ convertos & domum reversos, quarto post Christum seculo, non modicam popularibus Evangelii cognitionem insinuasse.

Nota CCCLXXX. Ibidem tamen Vellejus fallit & fallitur, afferens quendam temporibus Apostolorum Longobardis in Saxonia Christum annunciasse; Siquidem Longobardi nec dum ex Sondia fuerant progressi, nec Bardevenses quibus ille Dei præco fuit concionatus, quos intelligit Vellejus, licet Bardi vocarentur, & Longobardorum sibi nomen arrogare merito poterant, alias & bardi, Gallici eodem possent jure, Longobardicum assumere vocabulum, quod nemo sanæ mentis illis concederet. Seductus autem fuit Vellejus à Crantzio lib. II. suæ Daniæ, p. 41. & inde potuisset tamen errorem agnoscere, quod aliam ibi sententiam Crantzius amplectetur.

Nota CCCLXXXI. Nec vera est illorum opinio, qui Sondios sub Normannorum vocabulo, non prius quam octavo post Christum seculo, cœpisse piraticam in occidas exercere nationes, cum multo antè Christi natalem tempore, ut plurimis possem testimoniis probare, indecessam Sondii dederint operam piraticæ. Verum tamen est, quod octavo & nono salutis humanæ seculis, ipsam Galliam & Britanniam invadentes illi, magis inclarerint innotuerintque.

Nota CCCLXXXII. Non solum apud veteres olim Sondios, piratica gloriosum ducebatur genus militiæ, prout fatentur Crantzius lib. II. Nor-

Norvegiæ, p. 34. Andreas Vellejus Scholio in Adamum & historia Jonæ Arngrimi Islandica l. II. p. 194. Sed etiam apud Germanos teste Julio Cæsare, atque ipsosmet Græcos, quemadmodum scribit Thucydides.

Nota CCCLXXXIII. Quo tempore Scondii à Gallis potissimum Normanni appellabantur, non distinguenteribus inter Suecos, Danos & Norvegos, quod ab his arma conjungentibus, & à borealibus mundi regnis identidem erumpentibus infestarentur; Testes autem mihi sunt, Adamus p. 16. & Crantzius lib. 2. Nor. c. 1. qui non raro istud confitentur.

Nota CCCLXXXIV. Eorundem nituntur testimonio, simulque Abbatis Ursbergensis, p. 138. Reginonis, p. 400. Einhardi p. 456. & Schaffnaburgensis; Scondicæque pariter historiæ, quæ mea recenset Chronologia de Saxonum impugnatione & conversione, discordiaque Caroli Magni, & concordia tandem cum Danorum Regibus instituta.

Nota CCCLXXXV. Quædam Scondicæ fragmenta historiæ, seu potius figmenta, perhibent, S. Ansgarium nostratibus prædicasse anno DCCCV. & post CCXLV. annos iisdem B. Sigfridum; quanquam juxta illos qui eum DCCCLXV. mortuum, ætatis suæ LXIV. tum temporis solum triennis exstiterit.

Nota CCCLXXXVI. Quidam anno DCCCX. S. Heribertum Gothis & Suecis concionatum volunt, qui nuper etiam in Belgio natus, post XL. annos, cum S. Ansgario in Sueciam penetravit.

Nota CCCLXXXVII. Johannes Gothus lib. 17. cap. 1. contendit Heribertum anno DCCCXIII. huc primum accessisse, à Carolo Magno hac de re per Biornum Sueciæ regem amicè sollicitato, transmissum: Atqui plurimum labitur Gothus, ut suprà ostendimus, & Adamus p. 23. Crantziusque c. 37. l. I. Metr. veraciter demonstrant.

Nota CCCLXXXVIII. Isidem Gothus testibus mendacii convincitur l. XVII. c. 2. quod pari narret veritate, primum S. Ansgarii contigisse adventum in Sueciam, anno DCCCXVI. & prius ita Suecis quam Danis, Christum ab ipso esse annunciatum, sicuti Huitfeldius fol. 1. in principio suæ probat historiæ Ecclesiastice contrà Johannem, luculenter ac evidenter.

Nota CCCLXXXIX. Si Lupoldus Lubenburgensis eandem tuetur sententiam, ut Gothus fatetur, certum est à vero ipsum pariter deviare: Nam si Sueones, Gothicæ anno DCCCXIII. vel DCCCXVI. Evangelium fuissent complexi, frustra de illorum in Concilio Aquisgranensi, anno DCCCXVII. Pontifex & Imperator deliberassent conversione, quod tamen historiæ confitentur.

Nota CCCXC. Laurentio placet Nericio, & Norvego, S. Ansgarium in Suecia concionatum anno DCCCXX. Sed assertio veritati displacebit, sicut actutum probabitur.

Nota CCCXI. Crantzius l. I. c. 27. suæ Metropol. & Adamus p. 16. sententiæ reluctantur Andreæ Velleji ac Huitfeldii, falso afferentum, quod Ebbo Rhemensium Episcopus, Apostolum in Dania egerit anno DCCCXIII.

Nota CCCXI. Haraldus Danorum Rex cognomento Klachius, à Reginero regiminis consorte, profligatus, anno DCCCXXVI. Moguntiæ Imperatorem convenit Ludovicum, supprias in adversarium rogaturus: Ita M. Adamus lib. I. c. 15. p. 17. Abbas Stadenfis & Crantzii Dania lib. IV. c. 10.

Nota CCCXIII. Quibus tamen non assentior, perperam memorantibus, eodem Haraldum lustratum, & cum ipso S. Ansgarium in Daniam profectum, cum id potius contigerit anno DCCCXXVII. juxta verisimilioriem Vigorniensis sententiam.

Nota CCCXIV. Biennio S. Ansgarius integro fidelissimam dedit ope-

ram conversioni Danorum, ut manifeste Adamus testatur *p. 17*, non aliquot solum mensibus, velut comminiscitur Crantzius, *lib. I. c. 19. metr.* nec in Regia solum aulâ interim tanquam Legatus in honore manserat, linguam addic- scens Danicam, quemadmodum falso narrat Huitfeldius.

Nota CCCXCV. S. Ansgarius anno DCCCXXIX. non DCCCXXVIII. quod tamen placuit nonnullis, Sueciam primò ingreditur, nec vocatus à Biorno, ut nostri fabulantur scriptores, cum Regnerus, filiique teste Crantzio *lib. V. c. 2.* suæ Sueciæ, dogma Christianum, cane pejus & angue detestarentur, quorum Biornus fuit unus: Is nihilominus commendatione vi- ctitus Haraldi, patitur ut Ansgarius integro in Suecia commorans anno, Christum incolis annunciet: Sic noster Adamus *p. 17.* mendacii ar- guit Crantzium, qui *lib. I. c. 19.* suæ Metropol. B. Ansgarii apud Danos & Suecos prædicationi, solum tribuit biennium, & Breviarum Strengnense, quod Ansgarium sesquianno in Sueciâ moratum.

Nota CCCXCVI. Saxo & Crantzius, Biorno subrogant Sueciâ pul- so, quendam Vitsercum Regneri filium, & huic Ericum Ventosum, cui po- steâ Ostenum, isti Storbiornum, & ipsi denique Ericum Victoriosum. Sed Crantzius posteâ falsam intelligens hanc esse successionem, in Saxonem, *I. v. c. 8.* suæ Sueciæ invehitur.

Nota CCCXCVII. Inconstans eorundem est narratio de Berone seu Biorno, utpote quem subinde afferunt in Suecia mortuum, quan- doque in Norvegiam, indèque translatum; Aliquando domi cum Osteno belligerasse. Sed Huitfeldius, in suâ de Normannis relatione, ipsum a quodam Hastingo memorat circumvectum, illique *Tom. I. p. 40.* perperam substituit apud Sueones, Ericum Ventosum, quem etiam falso Biorni vo- cat fratrem, cum ipsius fuerit genitus sorore.

Nota CCCXCVIII. Suetici etiam scriptores à Saxone & Crantzio seducti, confundunt plerique historiam Erici Ventosi, parentis, ac Erici Victoriosi, filii: mirumque in modum se Gothus *I. XVII.* torquet, ut citrà naufragium, ex turbato illo evadat in portum pelago; quod tamen sæ- penumerò patitur, velut mea ostendit Chronologia.

Nota CCCXCIX. Confusum meritò chaos Saxonis historia cen- setur, quod ea *I. VII. p. 127.* Olaum Vermorum seu Vermelandorum Regem faciat synchronum Haquino Ring, licet eum in suo Thiodolphus Chro- nico, *fol. 18.* nonum facit Monarcham Sueciæ ab Haquino, idque verissi- mum est.

Nota CD. Gassarus *p. 183.* quendam nostratisbus assignat Aposto- lum nomine Humoldum, anno DCCCXXXII. indeque Huitfeldius *p. 40.* turpiter seductus, illo S. Ansgarium Suecis concionatum tempore fal- laciter asseverat.

Nota CDI. Non mox post S. Ansgarii ex Sueciâ redditum, qui contigit DCCCXXX. huc missi fuerant Simon Episcopus & Nitardus Presbyter; Quod tamen Breviarium Scarense palam fatetur.

Nota CDII. Idem Scarense, Upsalense, & Stregnense, Breviaria cum Erico nostro *p. 47.* Haraldi statuunt baptismum, anno DCCCXLV. & Ansgarium eodem, vel sequenti, Beronem convenisse; Nec animad- vertunt, quod, vivente Ludovico Pio & procurante, sit Ansgarius in Sue- ciâ expeditus, illumque prius quinquennio in fata concessisse.

Nota CDIII. Porro Stregnense Breviarum errore cumulans er- rorem, superaddit inter adventum S. Ansgarii, qui accedisset DCCCXLV. & accessum B. Sigfridi CC. fluxisse annos, hoc indicans calculo, B. Sig- fridum ex Angliâ in Sueciâ penetrasse MXXXV. Quippè falsissimam esse hujusmodi supputationem, alibi manifestè demonstrabitur.

SCONDIAE ILLUSTRATÆ TOMUS XIII.

41

Nota CDIV. Huitfeldius *tom. I. p. 54.* alteram S. Ansgarii huc profectionem, anno minus verè, DCCCXLVIII. statuit factam; Nam isto, sui loco, transmisit in Sueoniam Hartgarium Eremitam, & ipse met in Daniam profectus, Ericum Klachium apostasiæ reum, Ecclesiæ reconciliavit; non Ericum, cognomine Puerum, modò convertit; Quod tamen falso quidam afferunt, nec hos distinguunt Reges, quorum Adamus conversionem *pag. 22. & 24.* distinctè profectò memorat.

Nota CDV. In suo Laurentius Nericius Chronico, existimat S. Heribertum advenisse in Sueciam, anno DCCCXLVIII. quo confundit calculo Heriberti & Hartgarii huc legationes.

Nota CDVI. Contigit secunda & ultima S. Ansgarii pro Christo in Sueciam legatio, quam Svetici Scriptores, cum prima inscritè commiscent, anno DCCCLIII, quandò neque vocatus, sed literis Erici Klachii, Daniæ imperantis, commendatus, intrepidè Olaum Sueciæ Regem, Byrcæ accessit, prout Adamus, *p. 23.* & Crantzii Metrop: l. I. c. 37. contestantur.

Nota CDVII. Hinc autem redditurus, uni comitum Heriberto, seu Herimberto presbytero, Eccleiam commendavit Suecanam, qui poste à Episcopos etiam consacratus Sueciæ & Gothiæ, simul sedulam impedit diu operam convertendis. Nec verisimilis nostratum assertio, qui existimant, Cathedram ab Heriberto Episcopalem Lincopiæ positam, cum nullibi adhuc Scondia in certas fuerit divisa Episcopas. Unde liquet pariter, nullam eos mereri fidem, qui quoque minus vere narrant, ab Erico Klachio Slesvici, & Ripæ, ab Erico Puer, cathedrales hoc seculo fundatas Ecclesiæ, ubi solum templo, rudi opere construxerant, talibus non gaudentia prærogativis.

Nota CDVIII. Sic annus nobis innotuit advenientis in Sueciam B. Heriberti, qui Apostolus in ea quintus, non in Belgio, velut quidam nugantur, censetur: Etenim primus fuit Ansgarius omnium, de quibus certam habemus notitiam, II. Gaubetrus Simon. III. Nitardus. IV. Hartgarius, & V. Heribertus. Hinc porrò constat, quam simul erronea sit quorundam sententia aliorum, qui permisso Leonis III. anno DCCXC. sedentis, infulam Heriberto Lincopensem, esse traditam, comminiscuntur.

Nota CDIX. Idem tribuunt Heriberto successorem in Cathedra Gothiæ, Richardum, quem pari afferunt veritate, anno DCCCL. licentiâ promotum Agapeti II; cum inter hunc & Leonem III, XXXV. sedent Romanæ Pontifices.

Nota CDX. Sed revocat nos D. Ansgarius, historiaque secunda Hamburgensium præsulum, M. Adami Chronico adjuncta, quæ *p. 4.* memorat hac Ansgarium vice Regem baptizasse Sueonum, qui non alias fuit quam Olaus Tretelga.

Nota CDXI. Quidam alii profectum contendunt secundò in Sueciam B. Ansgarium, anno DCCCLVIII. quandò summoperè fuit domi controversia distentus illâ, quam Coloniensis ipsi movebat propter unionem Hamburgensis & Bremensis Archipræsul diœcesium, quæ sequenti finem sortiebatur diu optatum.

Nota CDXII. Hujusmodi curis & vitâ defunctus est Ansgarius anno DCCCLXV, provectioris, ut existimo, ætatis, quam Breviarium ipsi assignat Scarense, quod LXIV; vel Arosiense quod LX. duntaxat, tribuunt illi annos, cum alias nimium juvenis se Scondicæ accinxisset vineæ excolendæ.

Nota CDXIII. Celeberrimum hoc tempore fuit emporium & Regia Sueonum, civitas Byrcensis, quæ, nemo accolarum ignorat, quo fuerit

N

locus

loco sita, idemque prægrandia non obscurè indicant hodiè rudera; Et propterea frivola sunt Andreæ Velleji his de rebus conjecturæ, quas ad caput historiæ Adami L. apposuit.

Nota CDXIV. His non absimile est commentum Jonæ Arngrimi, qui suo Islandiam Chronico statuit p. 10. non prius repartam, quam anno DCCCLXIV. licet multis ea seculis, sub vocabulo Thyle fuerit mundo cognita, velut passim fatetur Saxo, & simul alii quidam interni Scondiæ & externi scriptores. Sed potissimum convincitur Jonas falsitatis, in Diplomate, quo Ludovicus Imperator, anno DCCCXXXIV Archiepiscopam fundat Hamburgensem, cum in ipso nominet Islandiam & Gronlandiam, ceu notissimas & cultissimas, quod Huitfeldius, Tomo primo, pag. 41. suæ producit Chronologiæ.

Nota CDXV. Major tamen cum Danis intercedit controversia dē successoribus in throno Danico, Erici, cognomine Pueri; Quocircā ut commodius ea decidatur, veram de illis subjiciam narrationem: M: Adamus p. 42. probè informatus, de hac re à Suenone Ulphonio, Dano-rum Rege, in historiis Scondiæ versatissimo, Helgonem Erico substituit, quod filius hujus minorenus, sceptrum non valens tueri hæreditarium, Canutus, latebras in Norvegia diuturnas quæsivisset, non Harde-Canutus, ut fallitur Adamus, p. 34. verum Lodne-Canutus nuncupatus.

Nota CDXVI. Lindenbruchii Anonymus, p. 22. omisso perperam Helgone, subrogat Erico Puer, Olaum Regem, cognomento Tretelgam, & huic Sivardum, Olai nepotem. Ast melius Adamus, p. 34. Olai facit filios & successores, Ennignupum, Sivardumque, in hoc duntaxat hallucinans, quod Ehnob ac Giurd vitiosè illos appellat. Sicut etiam hac in re plurimum titubans, quod Canutum Suenonis filium, qui erat genitus Erico, vocet; & Sivardo Ericum sufficiat Victoriosum loco Ventosi, quem Lodne-Canutus adultior factus, auxilio Noricorum ex Dania profligavit, & regnum patris tandem recuperavit.

Nota CDXVII. Præfatae insuper controversiae non minus servit decisioni, cognoscere, quod bini Sueonum reges, Olai nomine gaudentes, nempè Olaus Tretelga & Olaus SkotKonung, de quo infrà mihi sermo futurus, Daniæ per intervallum temporis non successivè sint dominati. Quæ si omnia melius examinasset Vellejus, non decepisset quodammodo Huitfeldium, aliosque Daniæ Chronographos neothericos, nec tam protervè contrariam defendisset sententiam, suis in Adamum scholiis, solo nixus testimonio Saxonis, p. 170. quem constaret fabulas saepius quam historias narrare, ac illa semper omittere, quæ cum gentis suæ non sunt encomio, cuiusmodi ista fuit Sueonum, in Dania, non paucò tempore dominatio.

Nota CDXVIII. In eodem Vellejus scholio simul etiam configit, Storbiornum Sueciæ principem ab Haraldo, Blatand vocato, exulem, Sueciæ dominio restitutum p. 164.; Quod tamen ipsemet negat Saxo, & hujus achates individuus Crantzus. Hic porrò in sua Dania, sequens Saxonem, affirmat lib. IV. c. 20. quod Storbiornus non expectato Haraldi subsidio, cum Suecis conflixerit, & propterea superatus, ceciderit. Verum in suâ Sueciâ, lib. V. c. 8. non hujus sat memor assertionis, adversario reconciliatum, & provinciâ Sueciæ quadam donatum perhibet, idque ceu magis verisimile in mea ego amplector Chronologiæ.

Nota CDXIX. Innumeræ habet Crantzus hujusmodi antilogias, quas non difficulter animadvertiset, qui historiam ipsius politicam cum Ecclesiastica paulisper contulerit. Enimverò in illa nugas passim Saxonis amplectens, & in hac Adamo, aliisque fide dignis adhærens scriptori-bus,

bus, contrariam sæpenumerò de rebus profert Scondicis sententiam; Et propterea in utraque cautè admodum est legendus. Quod ipsum fero judicium de Gotho nostro, qui suam ità conscripsit historiam, ut magis affectatæ in patriam charitati, quā serviat veritati. Patria ignosce mihi, quod crebrius illum perstringam hominem, veniamque non dubius spero, cum probè sciam, mendaciis te nequaquam delectari, & non ignores, me zelo veritatis compulsum, ipsi tantoperè indignari. De quo sane idem ego possem dicere, quod Marcus Tullius de principe Comicorum Plauto, nempè, quod historiam Johannis Gothi, finu gestaverim, nec discinxerim, donec in ea vix esse paginam, quæ non aliquo scateret mendacio, probè intelligerem: unum de plurimis hujus ævi producam; Ingellum Sueciæ Regem, reliqui omnes Scondiæ historicæ, tradunt illum voluntario interisse incendio, sed Gothus procurato ab hostibus, comminiscitur: factus proinde cum suis figmentis.

Nota CDXX. Haraldus, cognomento Pulchricomus, Norvegiæ Rex evadit DCCCLXX. non DCCCLXXVIII. ut falsò quidam supputant; Nec Christianis ipsum sacris reor initiatum fuisse, licet Laurentius Norvegus, istud asseveret, cum historia contrarium Norvegica passim adstruat.

Nota CDXXI. Olaum Sueciæ Regem anno DCCCLXXXIX. similiter quidam fingunt Christo nomen dedisse, B. Sigfridi prædicatione conversum, quandò nec dum fuerat Rex Olaus in mundum natus, prout sequens evincet censuræ nostræ contextus; iidemque figmentorum architecti, modò primum Episcopæ Vexionensi, tribuunt exordium.

Nota CDXXII. Non minus labitur Huitfeldius, tam in Ecclesiastica quam Politica sua historiâ Tom. I. p. 83. de conversione Frotonis, quem, cum initio noni post Christum seculi, vel in fine octavi, sceptro Daniæ potitum existimet, non ab Agapeto, vel Hadriano IV. concionatores postulasse, eo mundi tempore haud sedentibus, est verisimile.

Nota CDXXIII. Verisimilius porrò est, prædicatione S. Remberti, Ingonem Sueciæ Regem, Christo prius lucratum; Quandoquidem altera Bremensium historia Antistitum, referat p. 108. ab illo Regem Sueciæ conversum præsule, & Ingo tempore Remberti sit Sueonibus dominatus.

Nota CDXXIV. Quibus de causis Adelstenius Angliæ Rex suscepit anno DCCCCXXV. filium Haraldi Pulchricomi Haquinum educandum, non convenientiunt Saxo p. 378, & Crantzius, lib. III. c. i. Norvegiæ, cum Islevi Chronico fol. 31. huic tamen potius quam illis adhærendum censeo.

Nota CDXXV. Saxo volens victoriæ Henrici Regis p. 161. de Gormone Danorum Rege, obtentam, silentio involvit. Quippe non eam ignorare potuit, quam historici descripsissent clarissimi, videlicet Regino, Schafnaburgius, Sigebertus Gemblacensis, & Luitbrandus Ticinensis; qui licet nomen Danici Regis non bene exprimant, quo cum Henrico belligerasset, tamen in re convenient: Sed Adamus p. 36. à quodam Daniæ informantibus Antistite, utramque melius exponit. Ac proinde quemadmodum Saxo ex inscripsi fortassis, ita profecto Vellejus, quod Adamus, & reliquos in Scholio alleget scriptores, & nihilominus factum vocet in dubium, ex malitiâ hoc in loco hallucinantur.

Nota CDXXVI. Quo contigerit anno præfata Daniæ impugnatio, dissentient quoque Authores, cum horum quidam DCCCCXXV. alii DCCCCXXVIII. & nonnulli DCCCCXXIV. annis ipsam assignent. Sed verior est supputatio Reginonis, Gemblacensis & Fabricii p. 438. qui DCCCCXXI Danos à Saxonibus memorant debellatos.

Nota CDXXVII. Non minor est dissensio inter Scondiæ Chronographos

phos, de anno morientis Haraldi Norvagici; siquidem DCCCCXXXI. & DCCCCXXXII. & DCCCCXXXIII. & DCCCCXXXIV. & DCCCCXXXV. & DCCCCXXXVI. Pulchricomum vitâ functum, statuant, licet semel duntaxat mortem obire potuerit. Veritati tamen proprius illi accedunt, qui anno DCCCCXXXII. ipsum deceßisse tradiderunt, prout liquet ex Chronico Islevi *fol. 31.* Thiodolphum Frode continuantis, fidelius ad calculos revocato.

Nota CDXXVIII. Haraldo in Norvegiæ throno, succedit Ericus filius primogenitus, cuius nullam facientes mentionem Saxo & Crantzius, historiam ipsius cum Haquinii Adelstenii & Haraldi Grafeldii, Erici geniti, turpissimè confundunt; Saxo quidem *lib. x.* & Crantzius *lib. IV.* suæ Daniæ, ac *lib. III.* Norvegiæ.

Nota CDXXIX. Saxo ibidem narrat Haquinum Adelstenium, Haraldi Danorum regis vasallum fuisse, quod Norica non asserit historia, ideoque suspecta mendacii est mihi Danica. Crantzius porrò in Daniâ suâ, Saxoni adhæret, sed in Norvegiâ, Haraldum, Erici filium, Haraldo, Regi Danorum avunculo, statuit tributarium.

Nota CDXXX. Eodem historicus uterque habet loco aliud figmentum. Nam Haquinum periculi à Dano imminentis gratiâ avertendi, binos dæmoni filios immolasse scribunt, cum multa veritatis injuria, cum ille fuerit Rex Christianissimus, idque ferò animadvertis Crantzius commentum, in suâ se corrigit Norvegiâ, & impium illud facinus tribuit Haraldo, Haquinii proximo successori, falso etiam. Quippè post victimum ab Ottone primo, Haraldum, nempè anno DCCCCXLVIII. hujusmodi scelus in Norvegiâ contigisse, ambo confitentur, quando Haquinus, non Haraldus, Grafelder, Norvegis dominabatur, ut constat ex Chronologia, & propterea Crantzii neutra est verosimilis narratio.

Nota CDXXXI. Cæsaris Henrici victoria, securum Christianis Doctoribus, in Daniam præbuit postliminio accessum, quorum potissimum Unno, Archipræfus Bremensis, & totius Scondiæ, Haraldum, non Gormonem, Christo addictum reddidit. Haud tamen illum baptizavit, prout manifestè constat adversus contrariae assertores sententiæ, ex Adamo *pag. 37.* & Crantzii Dania *lib. IV. cap. XIX.* ubi suum corrigit errorem, quem hac de re, *lib. III. cap. 15. Metrop.* admisisset.

Nota CDXXXII. Ex Daniâ in Sueciam, B. Unno secessit anno DCCCCXXXV, non sequenti, quando negotiis hic consummatis redditum parabat. Quo in Suecia tempore Ingo, quem Adamus *pag. 38.* seu hujus librarius falso vocant Ring, cum filio regnabat Erico & nepote Emundo, huncque cum Adamus perperam appellasset *pag. 37..* Ingonis filium, se posteà emendat, Emundum, Erico Ventoso tribuens filium, qui à parentis obitu cum Erico fratre, Suecis Gothisque imperabat.

Nota CDXXXIII. Quamvis porrò hic Ericus vix modo ephebiam foret egressus; tamen quidam Sueciæ historici affirmant ipsum anno DCCCCXLVI. Bremâ concionatores impetrasse, S.S. Adalvardum & Stephanum, qui non fuerant adhuc nati, ut neque Adalbertus Archipræfus Hamburgensis, qui eos post annum MXLIII Suecis destinavit, velut *pag. 86.* invictissimo Adami testimonio constat, deinceps producendo.

Nota CDXXXIV. Storbiornus, Beronis filius & nepos Regneri, anno DCCCCXLVII. profugit ad cognatum Daniæ Regem Haraldum, suppetias rogatum, contrâ Ericum Ventosum, non Victoriosum, prout cum Saxone *pag. 164.* Crantzio *lib. V. c. 8. Suec.* Sueonum fabulantur scriptores quidam. Qui simul falso dicitant, Ericum & Storbiornum patruelles vel fratruelles extitisse, cum amitini fuerint, ille videlicet filiâ genitus Regneri, & hic filio.

Nota

Nota CDXXXV. Licet victoria Ottonis primi, quam de Haraldo, rege Danorum, anno DCCCCXLVIII. reportavit, toti esset Europæ notissima; nihilominus Saxo ipsam facere dubiam, non dubitavit. Cujus adhærens figmento Vellejus, scholio Adamum marginali perstrin git, & confignit, ipsius de victoria Cæsar is pugnare cum veritate narrationem. Nec etenim vietus, leges pacis victori solet præscribere, quemadmodum Imperator fecit Haraldo, qui & Marchionatum Slesvici restauravit, & hostem ad sacra Christianorum plenè suscipienda, homagiumque præstandum Imperio compulit.

Nota CDXXXVI. Sacris abluitur undis Haraldus cum uxore & filio propè Flensburgum Jutiæ, non in Sielandiæ Issefjordio; quibus etiam non Poppo, sed alius sacerdotum administravit baptismum, idque sequentibus probatur argumentis contrà Danos, qui propterea relunctantur, nè Suecis aliquid indè accedit honoris, quod Erico Sueonum rege in Dania rerum potiunte, insignia duo illa contigisse miracula, fateri alias compellantur.

Nota CDXXXVII. Confutando rationes adversariorum, nostram in primis stabiliemus assertionem: pro fundamento itaque adferunt testimonium Saxonis, qui lib. X. pag. 171. Arhusiensibus Popponem assignat primum antistitem, & successorem huic Reinbrandum, isteque cum sedisse legatur, post conflictum Ottonis & Haraldi, hinc inferunt; Popponem lustrationi adfuisse ac præfuisse Regum. Sed occurrentum illis, quod Saxo frequentius mendaciorum convictus, quam fido conveniat historico, nullam mereatur fidem amplius. Deinde respondendum, quod Episcopa fuerit Arhusiensis primum fundata anno DCCCCXLVIII. vel sequenti, & primus ipsi præpositus fuerit Antistes Reinbrandus, ut fatetur Adamus, pag. 41. & in sua Crantzius Metropoli pag. 69. Ergò primus fuisset ibi Poppo secundum illos Episcopos, quam Cathedralis illic dignitas sumpsisset exordium, quod est absurdum.

Nota CDXXXVIII. Huitfeldius, qui singularis hujus est patronus sententiæ, principio Ecclesiasticae historiæ fol. 3. testatur, insulam Popponi Arhusensem anno DCCCCXLVIII. vel proxime sequenti, fuisse traditam, in faciem Adamo, suprà citato, & veritati reluctans impudenter.

Nota CDXXXIX. Ibi, & passim alibi memorat Huitfeldius, Popponem à Benedicto III. Romanorum Pontifice, sub eo promisso Arhusensem suscepisse Cathedram, quod progressu temporis, totius esset Daniæ futurus Archipræsul. Sed neque veritati conformis ista narratio, cum Benedictus III. federit DCCCLX, nec etiam de Benedicto IV. possit intelligi, utpote qui sedidit DCCCCVI. nec de V. qui DCCCCLXI. & multò minus de VI. qui Romanæ præfuit Ecclesiæ DCCCCLXIX.

Nota CDXL. Simul provocat in hac causa ad Patriæ annales, nec ipsos tamen producit, ad quendam Monachorum librum Ottoniensium; sicut etiam ad Norvegiæ Chronicum, & ipsam M. Adami historiam: ex quibus omnibus probare nititur, Popponem Arhusiæ Præsulem fuisse, illuc à Benedicto III. fiduciâ plenum, obtinendæ postmodum Archiepiscopæ, missum; sed prius esse præventum morte, scilicet anno DCCCCLXXXIII. & propterea falsum esse, quod anno DCCCCLXXXVI. illa ediderit miracula, & Ericum Victoriosum, cum plurimis Danorum, baptizaverit. Verum nisi omnis de Romanis Pontificibus, Chronologia est insimulanda erroris, & Daniæ solum, Norvegiæque annales hujusmodi folia velut Sibyllina sint æstimandi, profecto mentitur Huitfeldius. Ac sanè quoad Adamum, prorsus in eo contrarium invenitur. Is siquidem pag. 56. &

46 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

Crantzus in Metropoli p. 84. Popponem Slesvicensibus tribuunt Episcopum, annoque DCCCCLXXXVI non DCCCCXLVIII, miracula edidisse; nec coram Haraldo, aet Erico Victorioso, & demum obiisse MXXIX. non DCCCCLXXXII. manifestè contestantur. Consule obsecro lector illum paginis LVI. LXI. LXII. & LXIX; hunc autem lib. III. cap. XXXIV. & XLII. nobisque causam lubens adjudicabis.

Nota CDXLII. Aliis præterea fraudibus quidam Danorum in hoc controversiæ negotio minus honestè utuntur. Quippè ut lectori fucum faciant, & Popponem ab Erico prorsus separant, Haraldoque adjungant, in suis passim Chronicis, scholio M. Adami corrupto, annum DCCCCLXVI. conversæ per Popponem Daniæ, pro DCCCCLXXXVI. adnotare non erubescunt; utque magis imponant historiarum imperitis, Reinbrando assignant annum DCCCCLXXVIII. loco DCCCCXLVIII. quando ad Cathedram fuit promotus Arhusiensem. Reliquis tamen impudentior est Andreas Vellejus qui lib. II. cap. XLIV. suæ editionis aliquot paginas ex Adamo fraudulenter expunxit, quod continent Popponem anno MXXIX. non DCCCCLXXXIII. esse mortuum.

Nota CDXLII. Saxo in sua nullibi historia Haraldum à Poppone iustratum, narrat, quod tamen non filuisset, si contigisset. Cæterum Hieronymus Cypræus, in Præsulum Catalogo Slesvicensium, quem inducit Huitfeldius, Popponem Sclesvicensi tribuit Ecclesiæ antistitem, & anno DCCCCLXXXVI sedisse, palam confitetur. His, aliisque victus rationibus Huitfeldius, tandem in fine Annalium Ecclesiasticorum, ubi de Arhusiensibus agit Episcopis, liberam fermè cuique facit potestatem pro arbitrio hac de controversiâ imposterum sentiendi.

Nota CDXLIII. Pari nostrates modo fabulantur de baptismo Regis Olai SchotKonung dicti, & adventu in Sueciam B. Sigfridi, quæ citrâ ullam veritatis imaginem, Olaus Gothus lib. II. c. 21. anno DCCCCLV. aet Ericus Upsalensis pag. 57. DCCCCLVI. contigisse asseverant.

Nota CDXLIV. Sed nullus fabularum finis apud Danos de Poppone, cum illorum quidam, ut Laurentius Norvegus, anno DCCCCLX. alii DCCCCLXXIV. & reliqui DCCCCXCIII. Suen-Ottonem fonte sacro lavatum à Poppone, comminiscantur, horumque unus est Saxo; non tamen à Poppone, nec in Daniâ, sed in Scotia per alium baptismō initiatum nugatur p. 170. Quandoquidem lyppis & tonsoribus sit notum, anno Christi DCCCCXLVIII. Suenonem cum parente Haraldo esse iustratum.

Nota CDXLV. Non anno DCCCCLXXVI, ut quidam minus rectè scribunt, verum DCCCCLXXXVI. Ericus Victoriosus in Suecia, Daniaque imperabat; falliturque simul Chronicon vetus quoddam, illum vocans Emundi filium, cuius erat frater, & Erici Ventosi filius, teste Adamo p. 50.

Nota CDXLVI. Indè simul liquet, quod Sueonum historici, perperam omiserint hoc loco, Emundum in catalogo Regum, & ipsius confuderint gesta cum gestis Emundi annosi.

Nota CDXLVII. Quidam Olaum ScotKonung anno DCCCCLXXX Christo nomen dedisse sentiunt, sed alii quos inter est Jacobus Typotius & Jacobus Gilonius, p. 64. eam ipsi cœlitus gratiam contigisse DCCCCLXXXII. existimant, non minus quam illi à vero deviantes.

Nota CDXLVIII. Nec Othincarus & Poppo, idola hoc tempore Upsalensis subverterunt, velut Crantzus in sua falso narrat Metropoli. Si quidem plurimis adhuc annis, idolatriæ cultus floruerit Upsalensis, & Pop-

po quidem in Suecia, non fuerit. Cæterum quod Othincarus vocetur ab Adamo pag. 56. & Crantio lib. III. cap. 38. Metrop. senior, ut distinguatur à ju- niore, hinc Vellejus & Huitfeldius p. 105. lubenter decepti, Othincarum faciunt primatem Sueciæ.

Nota CDXLIX. Emundus Sueciæ Gothiæque rex, fraude circumven- tus Suenottonis, falso inter Gothiam & Daniam limite admisso, Sco- niam, Hallandiam & Blechingiam, à suo impudenter abalienavit regno, sicut vetustissima quædam historiæ fragmenta, testantur; Quibus Gothi lib. XVII. c. 7. haud nocent in contrarium argumenta, quæ producit in vita Emundi Annosi, hunc cum illo commiscens, & rationes indè suas fru- strâ petens, quarum censem firmissimam, quod putet limitis designatio- nem continere saxorum uno limitaneorum, Blechingiam à Norvegia se- cretam, quæ alias provinciæ longissimo essent terrarum intervallo dis- junctæ. Verùm Gothi vana est cavillatio, cum inter Moringiam & Blechin- giam lapis ille positus feratur.

Nota CDL. Sic præfatæ Gothorum provinciæ à binis Sueciæ regi- bus perfidissimè sunt Danis proditæ, nimirum ab Emundo, qui propterea dictus per convitum Slemma, hoc est regionum dilapidator; & Magno, Smech, eandem ob causam id est, blanditus appellato. Frustrâ verò illas uterque fuit conatus recuperare. Nam anno DCCCCLXXXI. ille Sco- niam, Hallandiam & Blechingiam armis repetiturus, in Sconensi occu- buit conflictu propè Stongepelle, non Anundus vel Emundus annosus, prout plerique nostratium somniant vigilantes.

Nota CDLI. In regnis fratri succedit Ericus, non è vivis discedit anno DCCCCLXXXII. veluti quidam in annales falso retulerunt, annum permiscentes DCCCCXCII. quo Ericus in fata concessit, cum isto DCCCC- LXXXII. qui regimini præbuit exordium.

Nota CDLII. Crantzius libr. III. c. 4. suæ Norvegiæ, afferit Haral- dum regno pulsum à Suenottone filio, ad Principem secessisse in Gallia Nor- mannicum, & copiis ibi auxiliaribus obtentis, denuo in filium movisse. Verum id Gallici, non Danici narrant historici.

Nota CDLIII. Non vera est Jonæ Arngrimi assertio, p. 149. in hist. Is- lan. quod Gronlandia primum sit reperta anno DCCCCLXXXII. cum diploma Ludovici Cæsaris S. Ansgario datum super Episcopæ Hamburgen- sis fundatione, testetur Gronlandiam anno DCCCXXXIV. reliquæ notissi- mam Europæ & cultissimam fuisse.

Nota CDLIV. Quod Ericus Sueonum Rex Suenone Danorum glo- riosè superato, Daniam simul & Sueciam, non paucis annis gubernaverit, id non modo Adamus p. 54. & 56. clarissimè confitetur, sed etiam Crantzius lib. IV. cap. 23. suæ Daniæ; I. V. c. 9. suæ Sueciæ lib. III. c. 42. & 44. suæ Metropoleos, illi palam suffragatur. Intolerabilis propterea est Andreæ Velleij impudentia & nimia mentiendi licentia, contendentis suo in Adamum scholio, quod nemo scriptorum, præter Adamum, afferat, Ericum sub- actæ dominatum toti Daniæ. Atque comperiens ipsum quoque Saxonem p. 170. sibi adversarium, à librariis illum falsatum comminiscitur.

Nota CDLV. Falsam tamen belli hujus causam Saxo Ibid. & Crantzius lib. V. cap. 9. Suec. allegant, cum recuperatio Sconiæ, Hallandiæ & Blechin- giae, necisque fraternæ viudicatio, non mulctatio Suenonis, ob latum à pa- rente ipsius Haraldo subsidium Storbiorno, ansam Erico pugnandi æquissimam præbuerit.

Nota CDLVI. Crantzius Ibid. à Saxone, & Huitfeldius p. 113. à Vellejo, decepti, hic Ericum Victoriosum cum Ventofo, & Olaum Tretelga cum Olao ScotKonung, velut suprà etiam monuimus, inscitem confundunt, quod etiam facit Adamus pag. 34.

48 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

Nota CDLVI. Nec minor in ipsis est confusio de Suenonis exilio; nam cum ipsis seducti etiam à Saxone plerique Scondiæ historici, non distinguunt inter primam & secundam Suenonis pulsionem, utriusque durationem, ac exulis commorationem; siquidem falso afferant septennale solum fuisse exilium, quod, teste Adamo, p. 56. annis XIV. duraverat; sicut etiam quod Sueno expulsus primò in Irlandiâ exulaverit, & secundò diverterit ad Olaum Norvegiæ Regem, & ab ipso non suscepitus, ad Anglum se converterit, & tandem in Scotia hoc exili tempus transegerit.

Nota CDLVIII. Enimvero Adamus & Crantzius locis supra citatis, utriusque faciunt mentionem exilii, & cum anno DCCCCLXXXIV primâ fuerit vice Sueno expulsus, & post obitum Erici, anno DCCCCXCII patriæ restitutus, prout certissimis constat documentis, indè colligitur, quod novennio primum exulaverit, quem in margine Huitfeldius p. 113. quoque numerum posuit; sed in ipso fatetur contextu, Chronicon sequens Norvegicum, quod interea temporis in Irlandia sit commoratus. Cæterum anno DCCCCXCIII. ab Olao Erici filio iterum expulsus, teste Adamo p. 58. & Crantzio, paginis allegatis, per quadriennium fuit extorris, videlicet usque annum DCCCCXCVII. quo temporis intervallo in primis accedens Olaum Regem Norvegiæ, modò non prius ibi regnante, repulsusque, adivit supplex Edelredum, non Edvardum, Angliæ dominum, & nec ab eo suscepitus, demum ad Scotum divertit. Hæc verissima est narratio.

Nota CDLIX. Quidam Scondiæ annales, Olaum Sueciæ & Olaum Norvegiæ, reges potentissimos, gloriosissimosque continent, anno DCCCCLXXXV. opera cuiusdam Bernardi fuisse Christo lucratos. Sed ea verisimilis non est assertio, cum Suecus quidem non adhuc regno potitus, sub parentis idololatræ manserit imperio: & Norvegus, modò sequeretur militiam Cæsaris. Confusus autem est anni calculus, cum DCCCCXCV. quando ea utrique gratia contigerat.

Nota CDLX. Ericum Sueciæ Daniæque regem, ab Ottone III. fuisse impugnatum, & propè Danavirche debellatum, licet Sueno Ulphonius ab Adamo pag. 57. interrogatus, noluerit confiteri, quædam tamen Scondiæ historia illud manifestat. Verum quod Ericus viso Popponis miraculo, victas simul Christo manus dederit, testatur Adamus pag. 56. Potius tamen apud Isefiordum Sielandiæ, illa sacrorum contigit administratio, quam apud Ripam vel Slesvicum, indeque profluxit Saxonis narratio de Isefior-densi lustratione.

Nota CDLXI. Rex porrò Ericus propter baptismi susceptionem, vocatus est Stençil, hoc est, lustratus: Et quod ipso regnante grandis fuerit annonæ proventus, alterum sortiebatur cognomen, Arsel, id est, frugifer; sed à miris belli fortunis, Victoriosi cognomentum acquisivit. Hujusmodi vero cognominum varietate, posteritas historiæ non gnara satis, decepta, binos in annalibus confinxit Ericos, primum appellans Victoriosum & gentilem; ast secundum Stençil atque Arsel, huncque Christianum non isto Popponis miraculo factum, sed illo sacrificuli occæcati & illuminati prodigo, quod sequenti accidit seculo, cum Suecis dominaretur Stençillus secundus, qui turpiter ab eadem, cum Erico Stençillo, in nostra est historia, & simul à Johanne Gotho confusus. Qui præterea p. 946. falso narrat, Adalvardum & Stephanum hoc venisse tempore in Sueciam, quos certo certius constat, sub altero hoc penetrasse Stençillo, ab Adalberto missos Hamburgensium Antistite, non Adalgario, idque anno MLV. sicut posteà compandum est.

Nota

Nota CDLXII. Pervetustum Adami scholion, Erico tribuit uxorem, Boleslai Crobri Polonorum Regis filiam: sed fallitur, cum Ericus anno DCCCC XCIII. de vita migraverit, & Boleslaus sceptro sit potius anno M. Polonorum. Verisimilior proinde ipsem est Adami contextus, qui p. 58. Olaum Erici filium, Slavonici Regis generum facit, Boleslaum dubio procul intelligens.

Nota CDLXIII. Sed quam profert Adamus p. 50. narrationem, de Haquino Jerl, impio Norvegiæ Domino, prorsus est contraria veritati, pro ut ex Chronico fol. 35. & 36. liquet Norvegico. Nec enim primus fuit ille Regum Noricorum, nec filium liquit ullum, qui Daniæ & Norvegiæ sit dominatus: sed ipsem, ut Danica passim historia testatur, Haraldi Suen-Ottonis & Erici Danicorum regum fuit vasallus in Norvegia.

Nota CDLXIV. Ericus Victoriosus anno DCCCCXCII. non Ericus Ventosus, ab Osteno fuit trucidatus, Christianæ religionis osore, & Suenonis amatore. Nec Stenillus II. fidei causâ fuit occisus, ut quidam memorant, qui cum primo, illum quoque commiscent.

Nota CDLXV. Ubi regionum, domi an foris, quandò, & à quo Rex Norvegiæ Olaus Tryggvonus fit baptizatus, Scondia non conveniunt scriptores, pro ut Adamus p. 57. memorat. Nam quidam illorum in Anglia conversum, & in Norvegia fonte sacro aspersum, sentiunt: Alii gratiam in Anglia utramque illi contigisse, scribunt; Sed reliqui potius domi per Anglos Evangelio credidisse, & baptismum suscepisse narrant.

Nota CDLXVI. Saxo p. 171. domi per Bernhardum Angliæ quendam Episcopum, à Pontifice Romano consecratum & Scondia destinatum, contendit lustratum, sectatores habens, Huitfeldum in Chronico Daniæ Ecclesiastico Tom. I. p. 109; Ericum Upsalensem 48. & Johannem Gothum 559. qui simul asseverant religionis illum fuisse desertorem & proditorem, Ethnicarumque & magicarum amatorem & cultorem superstitionum: Quod ipsum Adamus insinuat, p. 58. non tamen omnino approbat, quod nonnullos contrarium sentire comperisset.

Nota CDLXVII. Foris Olaus Christianâ imbutus fuit religione, & sacris domi undis ablutus, per Johannem ex Angliâ Episcopum, idque annum circiter DCCCCXCV. ita convenientius veritati sentit Adamus p. 57. & 148. Cæterum, quod constantissimus in fide permanserit, Christianissimusque Regum sit Noricorum censendus, copiose demonstrat Arngrimus in Chronico Islandico, p. 103. cuius & ego rationibus assentior.

Nota CDLXVIII. Nec Bernardo suasore & administratore, hujusmodi contigit Regi Oloao cœlitus beneficium; siquidem longo post tempore, in Scondiam Bernardus advenerit, missus à Canuto Danorum & Anglorum Rege, qui successit parenti, anno MXIV. illudque asserit Adamus p. 65. & Crantzius lib. IV. c. II. suæ Metropoleos.

Nota CDLXIX. Grandis etiam viget dissensio & contentio, inter Sueciæ scriptores, de conversione ac lustratione Olai ScotKonung; convenient tamen plerique, quod à Sigfrido quodam Angliæ sit Episcopo baptizatus, sed plurimum de tempore dissentunt, velut haec tenus ostensum, & deinceps ostendetur.

Nota CDLXX. Qui Legendas seu historias Divorum Scondicorum breviariis insertas primi conscripserunt, politicis occasionem scriptoribus, circa temporum momenta & rerum monumenta hallucinandi maximam præbuerunt. Nam ab illis promanavit, omnis ea varietas & contrarietas, quas haec tenus de adventu primorum in Sueciam doctorum, commemoravimus & refutavimus, tantamque videns Johannes Gothus

lib. XVII. cap. 18. de tempore suscepiti per Olaum baptismi discordiam, nullum ausus suæ, his de rebus, narrationi, adscribere temporis calculum.

Nota CDLXXI. Lincopense breviarium narrat, quod filia & genero S. Olai cooperantibus, sit Rex Olaus Christianam fidem amplexus, quam Gothus acriter confutat opinionem, ceu vehementer erroneam *lib. XVII. c. 23.*

Nota CDLXXII. Saxo, quem Crantzius & Huitfeldius sequuntur, asseverat *p. 171.* Olaum Sueciæ regem simul cum Rege Olao Norvego, per Bernardum utriusque regni Apostolum, esse sacro regeneratum lavacro, & Jacobum nomine appellatum; sed priorem hujus assertionis partem suprà diluimus, posterior autem indè modò diluitur, quod certissimo constet Adami *pag. 67.* testimonio infra producendo, Anundum Olai filium Jacobi nomine donatum in baptismo, non parentem Olaum.

Nota CDLXXIII. Omnium porrò absurdissima est quorundam sententia, qui XV. Februarii, Olaum ferunt lustratum, quo fuit die B. Sigfridus Wexioniae mortuus, & ita confunditur hujus emortualis ac illius dies lustralis. Nec minus ridiculum addunt Olai baptismo anni calculum, nempe MCVIII. quo currente LXXXIV anni jam effluxerunt, ab Olai ïde vita migratione.

Nota CDLXXIV. Pro veritatis investigatione, concedendum, in primis Saxoni, quod eodem propemodum tempore, Suecus & Norvegus Christo per baptismum, nomina dederint, idque circa DCCCCXCV. Christi annum. Siquidem Olaus Sueonum cum Suenone Danorum Rege, post modicum indè temporis, teste Adamo *pag. 58.* sacrum pepigerit fœdus, de propaganda omni conatu religione per Sondiam, Christianâ, hincque sequatur, jam Evangelio illum credidisse, nec ullibi legatur ipsum Suenone vitrico adminiculante, conversum fuisse. Non tamen operâ illud contigisse Bernardi anteà demonstravimus; sed potius Siguardi accidit; quod Nidrosiense breviarium, hunc Olao Tryggotio Episcopum, præter Johannem, anno DCCCCXCVI. etiam adfuisse, testetur, evenisseque possit, ut sequentis ævi homines, & Saxo ab his posteà deceptus, Bernardum pro Siguardo; sicut quoque Suetici scriptores Sigfridum loco Siguardi ab Ethelredo huc expediti, Annalibus inscriperint.

Nota CDLXXV. Fatetur Adamus, *pag. 148.* Johannem ex Angliâ, Norvegis primò Episcopum, accessisse, Olaumque lustrasse: deindè Grimchilum, & denique Sigfridum sub dominio S. Olai, qui anno MXVI. nactus est regni gubernaculum, Norvegiam, Evangelii gratiâ incolis prædicandi, adivisse. Quomodo igitur Olaus Sueonum Rex, qui ante M. annum, Christianissimus merito vocabatur, post MXVI. Christo per B. Sigfridum fuit lustratus & lustratus.

Nota CDLXXVI. Idem similiter Adamus *pag. 67.* memorat, quod post annum MXIII. Unvannus Bremensium Archiepiscopus, obsecratione motus Olai Suecici regis, Turgotum miserit ipsi Episcopum, qui Gothiæ utriusque convertisset habitatores; Regis uxorem & liberos baptizasset, & primus Gothiæ præsul evasisset. Quo proinde jure, quædam historiæ Sueticae fragmenta & figmenta, Gothiæ conversionem, Cathedræ apud Scarenses & Vexionenses fundationem Episcopalis, Regis, ac Regiæ lustrationem familiæ B. Sigfrido tribuant, non invenio.

Nota CDLXXVII. B. Sigfridus, cum Danico & Norvegico, Episcopis, anno MXXXI. Libentio Hamburgensium Archiepiscopo, nuper insulam nacto, tanquam Sondiæ simul totius Metropolitanæ, præsttit obœdientiam; illuc propterea missu; ab Anundo Jacobo Sueonum Rege. Atque

que cum testetur Adamus pag. 70. & 148. supervixisse illum & floruisse in Sueonia, Gothiaque suo tempore, videlicet MLXVII. non videtur ulla- tenus credibile, quod B. Sigfridus ante M. annum, in Norvegiam & Sueciam penetraverit, Olaumque Regem lustraverit, tantoque in eatem- pore perseveraverit.

Nota CDLXXVIII. Denique s̄æpedictus historiæ Scondicæ veracissimus scriptor Adamus, pag. 66. asserit, B. Sigfridum à S. Olao in Norvegiam ex Angliâ traductum, quando hic regni thronum primo adiverat, istiusque mandato Regis, Sueciam postea ingressum esse. Verum Haraldus Huitfeldius fol. 5. in Ecclesiastica historia contendit, B. Sigfridum à Canuto Rege circa MXX. in Norvegiam vel Sueciam, esse transmissum. Quocirca sive à Canuto in Scondiam ablegatus, quod potius crediderim, sive ab Olao sancto, in eam fuerit adductus, inde nihilominus licet infallibiliter colligere, illos magnopere falli, & fallere, qui hactenus scripsierunt B. Sigfridum ab Edelredo Anglorum Rege, per Olaum vehementer obsecrato, huc fuisse destinatum. Nec iisdem præterea fidem censeo habendam, asseverantibus, B. Sigfridum in Anglia prius Eborasensium fuisse Archipræsulem, cum solo Episcopi titulo ipsum ornaret Adamus, qui tantum non tacuisset dignitatis, si ea fuisse ille decoratus, prærogativam.

Nota CDLXXIX. Modò regressus ad annum DCCCCXCV. com- perio, non illo currente pro ut Arngrimus perperam antorat, sed præcedente, Olaum Tryggotium, sceptro potum Norvegiae. Sequenti autem corpora sanctorum in Selio, fuerunt anno, ne tempore DCCCCXCVI. velut Ni- drosiense confitetur breviarium, manifestata.

Nota CDLXXX. Quantum habeat veritatis assertio Jacobi Gislo- nii pag. 64. existimantis, S. Olaum anno DCCCCXCVII Norvegiam occupasse, & DCCCCXCIX. matrimonium cum Sueci filia consummasse, fiet ex sequentibus paginis manifestum. Porrò idem narrat S. Olaum prius Gilberthum fuisse appellatum, quam verisimiliter, etiam ipse viderit.

Nota CDLXXXI. In suo Ortelianus theatro geographicō, Islan- diam anno M. fuisse repartam sentit: atqui falsam ipsius esse sententiam, liquet ex iis quæ contra Arngrimum, in causa ferme eadem, alibi disse- ruimus. In propinquâ vero Gronlandiâ, Jacobus Zieglerus, pag. 479. binas olim Episcopas fuisse memorat, Nidrosensi subjectas Archipræsuli, sed unius solum Antistites recenset Huitfeldius, nimurum Gardenses.

Nota CDLXXXII. Repudium, quod Olaus Norvegiae Rex fraude Suenonis Danici seductus, anni prioribus dederat Sigridi Sueonum Re- ginae, non ea narrant fide Saxo, & Crantzius, quâ Islevi fol. 39. & Ada- mi pag. 57. Chronica, hisque adhærere propterea veritati consultius duco.

Nota CDLXXXIII. Quem vindicaturus despectum Olæus Sueonum Rex matri suæ irrogatum, & Sueno illius vitricus, eundem, simulque filiae raptum plexurus, ac Norvegiam occupatus, cruentissimum Olaø Tryggotio bellum inferunt. Quibus ille, anno M. tempestivè præmonitus, non fraudulenter oppressus, ut Arngrimus pag. 105. & Islevus fol. 41. falso scri- bunt, illis congregitur: Atque superatus, non aquis suffocatus, in Syriam profugit, ubi reliquum vitæ in Cœnobio transegit; Sed victores, Sueno, Olaus & Ericus Jerl, Norvegiam inter se diviserunt.

Nota CDLXXXIV. Per decennium postea Sueno Angliam impu- gnavit, privigni auxilio potissimum fretus Olai Sueonum Regis, sicut e- tiam Noricorum. Interea strenuam illi navat operam S. Olaus, non frater ipsius Haraldus; quod tamen Saxo, pag. 173. Crantziusque 86. & 381. commi- nescuntur, licet Haraldus nec dum esset natus, prout historia testatur Islevi, fol. 454.

Nota CDLXXXV. Qui Thymmonem quendam Canuti Regis adversus Anglos vexilliferum, hoc tempore fortuitum, Daniæ & Sueciæ, Baneris assignant genearcham, adulatores non scriptores agunt.

Nota CDLXXXVI. Fallitur quoque historia Islevi, fol. 46. quod sororem Olai Sueonum regis, tribuat S. Olao conjugem, qui filiam duxerat, teste Adamo pag. 68. cui & Chronicon adstipulatur Sueticum. Nec germana S. Olai, Jaroslavo Russorum Principi nupserat, verum soror uxoris & filia Suetici Regis vocata Ingardis, velut idem testatur Adamus p. 58. qui scholiorum postea uno memorat, Ingardem, ternas genuisse filias, quarum primam Haraldus Norvegiæ, alteram Andreas Ungariae, & tertiam Henricus Franciæ, duxissent Reges.

Nota CDLXXXVII. Minus constans est Adami narratio, de germana Canuti regis, quod eam nunc vocet Margaretam, nunc Estridem, quamque modo copulat Richardo Comiti, modo Ulphoni Spracheleg, & subinde filio Ruthenici Principis, quemadmodum liquet ex contextu paginae LXIV. & scholio illic apposito. Sed ita reconciliandus est veritati Adamus, afferendo, pro Estride, casu Margaretam esse positam, & illam in primis Richardo nuptam; deinde post repudium matrimonio traditam Ulphonis, ipsoque Roschildiæ trucidato, in Russia elocatam fuisse.

Nota CDLXXXVIII. Johannes Gothus lib. XVII. c. 23. cum veritatis etiam injuria narrat, Olaum Sueciæ Regem anno MXVII!. morte sublatum fuisse. Nam Ericus Upsalensis Gotho senior & fide dignior, affirmit pag. 56. octennio Olaum supervixisse, post filiæ cum Olao S. nuptias, quæ MXVII. sunt celebratae, & propterea Olaus propè annum MXXIV. morte occubuit, Scaræ non Lincopiæ sepultus.

Nota CDLXXXIX. M. Adamus pag. 74. Olaum & Canutum fratres uterinos eodem mortuos anno, nempe MXL. perperam quoque memorat; siquidem illi quidem mors anno MXXIV. & huic MXXXVI. certò certius contigerit.

Nota CDXC. Huitfeldius existimat, S. Olaum anno MXXIII. Archiepiscopalem Nidrosiæ Cathedram fundasse, & XIII. illi suffraganeas ut vocant Ecclesias vel Episcopas subdidisse. Sed fallitur, cum regum ille Noricorum, Archiepiscopæ sit Nidrosiensis statuendus fundator, qui rerum potiebatur, quando Norvegia proprium naœta fuit deinceps Archipræfulem.

Nota CDXCI. Non minus de bello fabulantur Saxo pag. 176. & Crantzius lib. III. cap. 6. Nor. quod Canutus anno MXXIV. contra Suecos & Norvegos gesserat, quam Poëtæ mendaciorum figuli, de Jasonis in Colchidem profectione. Ac quamvis ex ipsorummet narratione, non solum Chronicæ Suetici & Norvegici, non obscure colligatur, Canutum victoriâ caruisse; tamen illi palmam, & modo VI. modo V. tribuere regna, hæcque inter Sueticum, haud erubescunt. Verum ad legitimos si compellerentur calculos, solum tria fateri cogerentur, nempe Anglicum, Danicum & Norvagicum, quod arte minus honestâ, non marte, subjugavit, nec Sueticum occupavit unquam; & tamen in literis, quas Româ deinceps ad Anglos perscripsit, se quarundam in Suecia provinciarum scribit regem, non ausus eas fortassis exprimere, nè mendacium proderetur. Epistolam suæ Huitfeldius historiæ Tom. I. pag. 150. inseruit, belli nullam faciens mentionem præfati, quod procul dubio non cohærere Saxonis de illo narrationem animadverteret.

Nota CDXCII. Porro eam sustinet personam, Ulpho quidam Spra-

Sprachalegius, Canuti sororius, isto sanè bello Danico, quam prius Sinon apud Virgilium in Trojano. Illum quippe omnis doli, fraudumque hoc conflictu adhibitaram utrinque, faciunt autorem. Nec his Saxo contentus, urso belluarum ferocissimo, ipsum avo procreatum præterea fabulatur, ut facinora generi respondisse ostenderet. Sed Crantzius lib. IV. cap. 27. & Vellejus pag. 223. in Saxone translato Danicè, rectius Ulphonis ortum interpretantur. Ille tamen de conflictu Helgaensi plurimum sibi contrarius est, cum in Dania sua, Canuto tribuat victoriam; in Suecia, lib. V. cap. II. Jacobo Sueonum regi. Consule amabo ipsum lector utrobius, & Norvagicam Islevi sequere historiam, quæ citra affectum recentat pugnam Helgaensem fol. 50.

Nota CDXCIII. Longe diversam à Saxone, Crantzio, Adamo & Islevo, habet narrationem Legenda S. Olai Germanica fol. 97. non de isto solum prælio, sed ingressu S. Olai ad thronum Norvegiae, progressu regiminis, congressu cum hostibus internis & externis, ac de vivis tandem egressu, minus tamen verisimilem. Nam quod fratrem illi Haraldum assignet regni æmulum, à vero prorsus alienum videtur, cum Haraldus, teste Islevo, quadrimus saltem fuerit, quando Norvegiam S. Olaus anno MXVII. occupaverat. Tantundem habet forsitan veritatis sequens Legendæ relatio, de navigatione S. Olai, cum fratre concertantis de imperio, per vastissimas montium rupes, quæ potius videtur allegorica, pro confuetudine illius ævi, talibus magnopere delectantis narrationibus, quam historica. Eadem postea subiungit, S. Olaum pro suo jure Daniæ sceptrum affectasse, coronam ibidem acceptasse, & sua impetrasse apud Deum oratione, illam uberrimam in freto Cimbrico halecum punctionem. Hanc vero nec approbans, nec improbans assertionem, ne Divina æstimare videar arcana, illam pronuncio falsam esse, cum nulla Scondiaæ historia, S. Olaus Daniæ porrigat diadema. Demum quæ in Legenda narrantur de martyrio S. Olai, quem iisdem quibus Christus tormentis enecatum memorat, inter paradoxa & adynata similiter existimo referenda; Quandoquidem Adamus pag. 68. paucis solum verbis hujus faciens mentionem sententiæ, aliam mox amplectatur, omnibus Scondiaæ Chronographis communem, quam & ipsamet tandem Legenda probare videtur.

Nota CDXCIV. Sed prius eadem porro commemorat, quod S. Olaum, frater Haraldus tali affecerit supplicio, & hic propterea fuerit à dracone post triduum consumptus, hincque reor, pictores occasionem naëtos, draconem pedibus S. Olai substratum, pingendi, licet ego potius Canutum Daniæ regem per illud intelligendum emblema, existimem. Cæterum prior narrationis pars indè falsitatis arguitur, quod Haraldus fuerit Christianus, non eo tempore gentilis; fraternalis in hoc bello partes tueretur, non ipsis adversaretur, & XV. duntaxat annum agens, post obitum fratris in Sueciam secesserit, ac indè Russiam, Græciamque accesserit, sicque non fuerit à dracone devoratus. Ita sentiunt authentica Scondiaæ Chronica, quibus nemo veritatis amans, reluctari præsumperit.

Nota CDXCV. Legendæ quodammodo solum patrocinatur, canticio quædam vetusta, quæ S. Olai per montium rupes approbat velificationem, & quod simul dæmones montanos suo reluctantibus proposito in saxa transmutaverit, huicque adstipulatur opinioni Olaus Gothus lib. II. cap. XV. sui de Scondia operis. Ego autem fabulas esse arbitror, indè ortas, quod S. Olaus, sagarum in Norvegia zelosus fuerit flagellator

lator & extirpator, hujusmodique dæmonum mancipia exurendo, existimaretur ipsum in saxa convertere dæmonem.

Nota CDXCVI. Non XV. regni anno cæsus fuit S. Olaus, velut falso narrat Chronicon Islevi fol. 58. quod à MXIII. supputat, quando ille thronum cœpisset solum affectare Noricum; sed XII. idque testatur Adamus pag. 68. & calculus ipsi suffragatur veritatis, cum S. Olaus suum auspicatus in Norvegia sit regimen, anno MXVI. exeunte, & ipsum finiverit MXXXVIII. currente, non MXXX, sicut minus recte Huitfeldius annotavit pag. 147.

Nota CDXCVII. S. Olai consobrinus fuit quidam S. Halvardus, cuius historiam recenset Adamus pag. II². & Nidrosiense Breviarium, quod consulat lector, illam scire desiderans, sicut quoque nostram Chronologiam.

Nota CDXCVIII. Putidum est Saxonis mendacium pag. 186. de Haraldo, S. Olai fratre uterino, quem in Byzantino carcere novacula horrendum occidisse draconem fabulatur, sicut Islevus fol. 68. in sua probat historia, illorum nixus testimonio, qui Haraldo adfuerint captivo.

Nota CDXCIX. Huic simile est figmentum de Catillo & Gilberto magis famosis, quod, ceu veritati conforme, proponit Olaus Gothus lib. III. c. 20. Hanc verò fabulam inde natam existimo, quod postquam Reges Christiani Vestrogothiam hoc tempore sibi & aliis Christicolarum elegissent inhabitandam, mansionemque in Visingana insula, in qua magorum unus fertur ligatus, adhuc vivere, frequentius & libentius habuissent propter loci amoenitatem & securitatem, confinxerint adversarii, moram alicujus Regis æquo ibi diuturniorem false cavillantes, Gilbertum illic rhunicis vincitum artibus, delitescere in profundis insulæ cavernis, quæ tantum erant specus ex subterlabentibus quondam meatibus aquarum, in terræ visceribus relictæ.

Nota D. Eandem meretur censuram fabula nata & per vulgata, quinto post millesimum seculo, de quodam in Jemptia saxe, quod isto fuscitatum ævo, & prophetia inaratum à Stephano S. Adalvardi socio, ferebatur. Ipsimet quippe rythmi, non tantam redolent antiquitatem, ut potè quos etiam perhibent à Catholicis initio Lutheranismi per Sueciam propagati, contrà Evangelicos esse clanculum promulgatos, sub nomine B. Stephani; eosdemque nactus in bibliotheca Laurentii Nericii, Jesperus Marci, cantione compræhensos, adversus Catholicos sub Liturgicorum vocabulo, suam in Suecia Ecclesiam restaurare conantes, & antagonistas propterea, quorum unus fuit Jesperus, persequentes, vicissim publicavit. His alia non minus efficax accedit ratio, quod sæpenumerò in Jemptia quæsitus, nulli profectò inveniretur ille lapis, nec in ipsa quidem, sub alpibus Undersacherensi parochia, in qua hurni stratus pausare crederetur: sed neque Johannes & Olaus Goths, pro suo prorsus indefesso studio, in scrutandis & indagandis Patriæ antiquitatibus, illam silentio involvissent prophetiam, si terrarum ullibi Scondicarum, eam prostare tempore suo cognovissent.

Nota DI. Lincopense Breviarium fingit Olaum Schot Konung anno XL. paganum, & ML. factum opera B. Sigfridi, per S. Olaum procurata generum, esse Christianum. Quanquam & gener & ficer dudum forent mortui, velut hactenus luculenter est demonstratum. Hac fide calculus temporis, in regni annotatus Breviariis, invenitur!

Nota DII. Gude, Suenonis Ulphonii consors, nec soror, nec filia Ingoniserat, velut Ericus Upsalensis p. 69. & Johannes Gothus, lib. XVIII. c. 10. aliique nostratum somniant; verum Jacobo Anundo Sueonum rege fuit nata. Iste autem error imperitis veterum librariis est adscribendus, qui pro Jaco-

Jacobi nomine, Ingonis perperam annalibus inscripserunt. Itaque Gude, Suenonis genita amitino Jacobo, non fuit consobrina Suenonis, ut falso sentit Adamus, pag. 85. & quod tertio cognationis gradu maritum ita contingeret, repudium sustinuit, inque Vestrogothia consenuit: ubi non ab ea, sed posteriorum aliquo, fundatum & nominatum de ipsa esse cœnobium deinceps Gudhemense, quod ibi viva foret morata, & post mortem tumulata, dubius existimo.

Nota DIII. Genitor verò Gude Anundus, anno MLI. fatorum succubuit violentiæ, pro ut Chronicon alterum Bremensis Ecclesiæ, Adamo conjunctum, fatetur pag. 30. sepultusque Scaræ, non Lincopiæ, quemadmodum Gothus p. 576. falso memorat. Qui porrò etiam comminiscitur Anundum Jacobum, audita S. Olai cæde, non diu supervixisse, licet constet certo ipsum XXIII. annis inter vivos postea extitisse.

Nota DIV. Fallitur item Gothus, *ibidem*, afferens Eniundum successorem, Anundi filium, cuius erat frater, quemque Rex Olaus de concubina genuisset. Nec enim à priscis Scondiæ populis, filii regum naturales throno excludebantur, velut contra Gothum, Adamus p. 74. & 140. liquidio testatur. Quod ipsum liquet exemplo Magni, Norvegiæ dominium hoc tempore naëti, licet filius esset S. Olai naturalis. Immo luculentius idem probatur in Dania, ubi Suenonis filii, licet concubinis forent geniti, per ordinem regnarunt, quorum unus nomine Magnus, teste Adamo in scholiis, natus ex Thore, pellicum una regiarum, Romam versus à patre missus, ut rex ibi Danorum consecraretur, in via morbo contracto, animam exhalavit.

Nota DV. Saxo, pag. 184. ut Magnum Norvegiæ regem bellacissimum, quod simul Daniam subegisset, aliqua macule ignominiæ nota, finxit ipsum ab equo ad leporis occursum territo excussum, protinus expirasse. Verum aliud longè narrat Adamus de ipso pag. 76. & 85. Hic siquidem in navi Magnum obiisse confitetur, quem scholio sanè quodam miris extollit laudibus, non lepore timidiorem faciens.

Nota DVI. Arngrimus Jonæ in Chronico Islandiæ pag. 1c6. Islevum insulæ Præfulem anno MLVII. constitutum, uxorem in suo habuisse officio, & liberos genuisse affirmat, idemque licuisse successoribus Islevi, usque annum MCLXXVIII. quando matrimonia essent Episcopis Islandiæ, reliquoque prohibita clero. Huitfeldius in sua etiam historia Ecclesiastica, Othincaro juniori Ripensium Episcopō tribuit uxorem, & filium Christianum in cathedra parenti succedentem; de Christiani tamen successore Valdemaro, sibi non constat Huitfeldius, cum ipsius esse filium asseveret, & nihilominus in Francia genitum subjungat. Prætereà Olaus & Laurentius Nericii, fratres, in suis allegant chronicis, vetustos legum Scondicarum codices, in quibus fiat mentio Præfulum conjugatorum, & horum deputetur liberis à parentum obitu portio hæreditatis. Sed aliae contrarium tenent historiæ, concedentes Sacerdotibus, Diaconis & subdiaconis, Scondiæ primis, matrimonia; ægerrime tamen fuisse ipsis aliquandiu indulta. Nullis autem Episcopis ullibi terrarum, immò nè in Græca quidem Ecclesia, fuisse unquam concessa, multò minus in Scondica. Proinde si Præfulum aliqui legantur uxorati, ante suscepsum Episcopi officium, esse intelligendum, qui simul synodum allegant Moguntinam, anno MLI, celebratam, cui præsens cum aliis Germaniæ Antistitibus, adfuisse Adalbertus Nordalingiæ & Scondiæ Archipræfulus, & matrimonia cleri horrendum execratus esset, sicuti confitetur Adamus. pag. 96.

Nota DVII. Huitfeldius in Chronico Daniæ politico pag. 185. censet Islan-

56 CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

Islandos anno MLXX. Suenone in patria dominante & procurante Ulphonio, Islandos Christo nomen dedit, deceptus quodam Adami textu, qui recte intellectus, solum perfectam Islandiæ conversionem sub Adalberto contigisse insinuat.

Nota DVIII. Stenhillum, Emundi apud Sueones successorem, Suetica confundit historia, cum Erico Stenhillio; sicut etiam miraculum Popponis, quod sub isto, & aliud, quod sub illo contigisset Upsaliæ, ab Adamo pag. 144. copiose descriptum, simul & à Crantzio in Metropoli. Præterea Suetici non distinguunt scriptores, inter Adalvardum seniorem & juniores, quorum etiam pro Christo labores turpiter passim commiscent.

Nota DIX. Eadem Sueonum historia Emundo Annoso subrogat Haquinum, non Stenhillum, hinc pertracta in errorem, quod similiter non distingueret inter Emundum II. ac Emundum III. nec aliquam hujus faceret mentionem, cum Haquinus non priori, secundum veriora Scondiæ Chronica, cuiusmodi est Adami pag. 88. successisset.

Nota DX. Cum propter gentilium rebellionem, per reliquum hujus seculi, perturbatus admodum sit ordo regiae in Suecia successionis, nec in nostris benè adnotatus historiis, ex testimonio Adami sincere in scholiis prolato; velut etiam Alberti Crantzii lib. V. cap. 13. 14. 15. & Breviariorum quorundam, sic est corrigendus, primoque post Emundum loco ponendum Stenillus; secundo, Ericus; tertio, Emundus III. quarto Halstanus Stenilli filius; quinto iterum Emundus III. ab exilio revocatus; sexto, Haquinus; septimo, rex Ingo; octavo, Sanguinarius Sueno; nono, Philippus, & decimo rex Ingo.

Nota DXI. Præpostero autem ordine illos nostra collocat historia, cum post Emundum II. primo statuat loco Haquinum, secundo Stenhillum, tertio Ingona, quarto Halstanum, quinto Philippum, sexto Ingona. Quibus præterea falsum apponit temporis calculum; Quippe Haquinum, Ericus Upsalensis pag. 71. synchronum facit Ottoni III. Romanorum Imperatori, qui anno M priusquam ille nasceretur, in fata concessisset. Jacobus Gilonius pag. 69. & 70. Stenillo V. regiminis annos tribuit, qui teste Adamo, VII. regnasset: Ingona IV. Halstano XVI. Philippo XXX. licet multo aliter se temporis hujus ratio habeat. Alii quidam, Ingona mortem priori assignant anno MLIII. reliqui MLX. quando vix ephebiam fuit egressus. Tantum etiam veritatis obtinet Crantzii suppeditatio, qui lib. V. Suec. cap. 12. Stenhillum MC. obiisse tradit; quamvis ex Adamo pag. III. evidenter constet illum MLXVII. mortem oppetivisse.

Nota DXII. Non minus nostri hallucinantur scriptores, in assignando iisdem regibus sepulturas. Siquidem Haquino & Ingona priori sepulchrum deputent in cœnobio Varnhemensi, cuius prima nec dum jaeta erant fundamenta, velut ex mea liquet Chronologia; sed ille tumulum fuit adeptus in Levinensi, & hic in Ecclesia Hongrensi, quæ tumulos etiam hodiè advenis ostentant.

Nota DXIII. Mendosus de Ingone utroque calculus, historiam quoque S. Eschilli Sudermannorum Episcopi obscuravit, quod sub horum altero vixisse ac obiisse perhiberetur. Proinde nonnulli scriptorum, regnante in Suecia Ingone priore, infulam illi Sudermannicam esse collatum, non sine temporis injuria, existimant, utpotè cum ea sit prius multo potius, & quidem vivente adhuc B. Sigfrido, & illam conferente, sicut quædam regni testantur Breviaria. Migrationem quoque S. Eschilli, quidam anno MCXXIX. & alii MCXXXIX. contigisse, falso tradunt, quæ potius circa MLXXX. accidisset.

Nota

Nota DXIV. Tantoperè similiter non pauci nostratium, in vita S. Bothvidi scribenda, labuntur, & præcipue Breviarii author Scarenfis, ut cædem illi tribuant MCLXXVI. quandò tota fuit Suecia Christo dica-ta. Sed alii MCXXIX. funestum ipsi assignant annum, à verò etiam deviantes, cum propè MLXXVI. à proprio fuerit mancípio trucidatus.

Nota DXV. Ingo posterior, insignem de Magno Norvegorum Rege victoriam obtinuit, sicut Chronicon ipsum testatur Noricum fol. 8r. ideoque mendacissima est Saxonis pag. 208. & Crantzii l. V. Nor. c.4. dehaere assertio, Suecos triumpho spoliantium. Qua etiam laboravit invi-dia, Huitfeldius pag. 193. quod in dubium vocaverit, an Folchungis Sue-onum filiæ S. Canuti regis nupsissent, licet Saxo, pag. 200. Crantziusque lib. IV. Dan. cap. 37. illud palam testarentur.

Nota DXVI. Vellejus suo in XV. libri IV. caput scholio, verissimam Adami narrationem, de Sueonum regibus Emundo II. succendentibus, su-ppectam lectoribus reddere conatur, quod non conveniat cum historia Erici: verum hanc potius falsitatis argueres, mi Velleje, si Scondicæ notitiam historiæ meliorem tibi comparasses. Deinde post Stenchiilli obitum regiam Sueciæ familiam, in conflictu utriusque Erici penitus interiisse, suspicatur, eo adductus argumento, quod in nullo legerit Sueciæ Chronicō, quibus esset Ingo Stenchiilli successor parentibus na-tus. Omnipotens igitur Velleje, talpa fuisti cæcior, cum Adamus in Scholio, & Crantzius lib. V. Suec. cap. 14. post cladem utriusque Erici, asseverent, Hal-stanum Stenchiilli filium, sceptro regni esse potium; cujus fratrem germa-num statuit Ericus Upsalensis pag. 75. Ingonem, de quo tantoperè dubitas!

Nota DXVII. Cæterum non erubescit Vellejus, propter unius ex-probationem mendacii, qui libro quodam Adami, quod minus causæ fave-ret Danorum, integro ex sua editione fraudulenter proscripto, colore in facie ne mutavit quidem, & reliquum Adami opus, non paucis locis fal-savit, prout aliorum editiones, cum Vellejana collatæ, quod fecit Er-poldus Lindenbruchius, liquidò testantur, idque Henricus Ranzovius & Lindenbruchius crimen obijciunt Vellejo, in præfationibus suarum edi-tionum.

Nota DXVIII. Plus sanè Huitfeldius verecundiæ habet in narran-dis Scondicæ historiis, tamen impudens ea videtur ipsius assertio, qua Gotlandiam ab Irone Sueonum Rege, cum Margareta hujus filia Nicolao Dano nomine dotis traditam, existimat; Nec aliam suæ opin-ionis allegat rationem, nisi quod vetustum ita memoret epitaphium, in quo tamen Estridis non Margareta vocetur illa regina, qua cum illud falso asserit, cessisse Danis Gotlandiam: quomodo igitur ista cohæ-reant, non video!

Nota DXIX. Idem scriptor Danorum in principio historiæ de Scanorum Episcopis narrat, quod S. Canutus Daniæ rex anno MLXXXV. non alia in sigillo regni usurpaverit insignia, quam ex una sigilli par-te, imaginem Regis, sublimi throno residentis; Ast ex altera, equo in-sidentis subsalienti. Unde liquet ternos Danis leones in regni stemma-te, postmodum accessisse.

Nota DXX. Vanas habet conjecturas ibidem Huitfeldius, , de tempore quo cathedram B. Egino naëtus sit Lundensem, & morte com-pulsus, eandem deseruerit. Sed veram profert Adamus sententiam pag. 134. qui Eginonem XII. sacerdotii anno, & Domini MLXXII. faustum creatori spiritum reddidisse, confitetur.

Nota DXXI. Ericus cognomento Cyprius Danorum rex, anno

MCIV. votivam ingreditur peregrinationem Hierosolymis, inter alia expiaturus crimina, cædem fidicinis seu citharædi sua culpa perpetratam. Verum leges Ostrogothiæ, titulo de homicid iis, capite XVIII. lepidam omnino satisfactionem & pœnitentiam interactoribus musicorum injungunt; quas propterea obsecro, ut per otium, lector, inspicere non graveris.

Nota DXXII. Ex Palestina remeans Ericus anno MCV. in Cypro moritur & sepelitur, tantumque contulit insulæ beneficium, teile Saxone pag. 207. ut cum prius humanorum impatiens esset cadaverum, talia cum regio imposterum, contineret. Idem commemorant lubentes miraculum, Anonymus Lindenbruchii pag. 31. & Christiernus Petrius; quod tamen Huitfeldius silentio involvit, ne tam fædo suam macularet historiam mendacio, non ignorans falsissimam esse hujusmodi de Cypro narrationem.

Nota DXXIII. Minus porrò constans est Huitfeldii relatio de tempore quo Dania Hamburgenſi subducta Ecclesiæ, proprium impetravit Archiepiscopum. Nam subinde non distinguit inter annos, quibus Ascerus fuisset Episcopus solum Lundensis, & reliquos sub Archiepiscopatu illius currentes. Quando quoque sub Haraldo, Erici peregrinantis filio, suæ tantum patriæ honorem sentit contigisse; & non nunquam à Crantzio deceptus, tempore Nicolai, Haraldo succendentis, ista Daniam prærogativa decoratam, existimat. Itaque nunc XXXIV. annos Archipræsuli tribuit Ascero, nunc XIII. nunc X. Verum quod in Ecclesiastica Huitfeldii historia, Lundensi assignetur Archiepiscopæ annus MCLXXXIV. foundationis, manifestissimus est error, non tam scriptori, quam impressori sane imputandus.

Nota DXXIV. Reliquis autem verior est sententia insulam deputans Ascero Archiepiscopalem, anno MCVI, cui & Huitfeldius subscribit frequentius, simulque non pauci Danorum alii scriptores affeyerantes mecum concorditer, quod Erico peregrinante, & Haraldo domi filio ex Nicolai præscripto patrui regnante, Paschalis II. Romanæ Pontifex Ecclesiæ, missio in Daniam Cardinale Alberico, Lundiæ Ascerum ordinavit Archipræsulem.

Nota DXXV. His non invalidum accedit argumentum, quod Chronicon Islandiæ affirmet pag. 107. Jonam primum in Islandia Holensem Episcopum anno MCVI. ex permisso Paschalis, Lundiæ ab Ascero consecrationem obtinuisse, quam non licet impertire potuisset, nisi dignitate potestateque fuisset Archiepiscopali ornatus, ut liquet ex juribus Canonum. Quo etiam tempore Hubaldum reor Ottonensem Episcopum, fuisse inauguratum ab Ascero, non MC. quando candidati Daniæ præsules, suam adhuc Bremæ vel Hamburgi, capeſſere consecrationem tenebantur, nullum habentes ante MCVI, in patria Archipræsulem.

Nota DXXVI. Lundensem pro suo Norvegia Metropolitano agnoscere mox obligabatur, simulque Gronlandia, Islandia & Ferogia, pro ut exemplo demonstratur Jonæ Holensis, & Norvegica sicut etiam Danica testantur historiæ, veterumque memoria.

Nota DXXVII. Cæterum Suecia modò nullam præstitit Lundensi obœdientiam Archiepiscopo, falsissimaque est Saxonis p. 205. Crantzii l. V. c. 4. Daniæ, Erici Upsalensis pag. 78. ab illis seducti, & Huitfeldii assertio, mihi contraria. Enimvero si Sueonum Ecclesia, nunc obœdivisset Ascero tanquam Metropolitano & Scondico velut semipatriarchæ, cur Nicolaus Cardinalis Anglicus, post XLVI. annos, nempè MCLII. placaturus Eschilum propter nuperam Norvegiæ subtractionem offensum, simile in Sueciam Ar-

Archiepiscopo deputatam, jus illi promisisset? quo sane promissio nihil effecisset, si aliquam Lundensis prius habuisset Archimandrita in Sueones jurisdictionem. Nec idem minus evidenter inde probatur, quod Sivardus Upsalensis in Suecia Præsul, anno MCXLI. & sequenti Alberonem conuenierit Archiepiscopum, Bremæ, non Eschillum Lundiæ, super quibusdam suæ negotiis Ecclesiæ, quemadmodum illa testatur documentorum appendix, quam Lindenbruchius corollarii loco ad Bremensem Adami historiam adjunxit pag. 115. & 117.

Nota DXXVIII. Initio duodecimi post Christum seculi, conspicua vita sanctimonia floruit S. Helena natione Vestrogotha, quam nonnulli minus rectè filiam Guttormi Ducis statuunt, non considerantes, quod Helena eo mortua sit tempore, quo Guttormus primum vivere cœpisset. Verum est quidem Guttormo filiam nomine Helenam fuisse, sed quæ multo post tempore nupsisset Esberno Snare, Danorum primario.

Nota DXXIX. Martinus Cromerus quæ in suo narrat Chronico p. 86. de Boleslai contra Danos anno MCXXIV. suscepta expeditione, nullam veritatis speciem habere videntur, nisi hoc modo temporis & personis accommodentur: nempe, si Abelem fraterno madentem sanguine, in pugnavit, tum sane contigit MCCL. non suasu Petri Dunini, qui vivere desit MCXLIX. sed alterius, & Boleslaus IV, fuit cognomino Pudicus, non III. cognomine Crivoultus, quod hic mortem appetivisset. MCXXXIX. & ille synchronus fuerit Abeli Danorum tyranno.

Nota DXXX. Mihi verisimilius tamen videtur, quod Boleslaus Crivoultus, proprio magis instinctu quam alieno, non thesauri gratia inde per Oceanum exportandi, sed multitudinæ necis, Magno genero & Nicolao confocero, Danorum regibus, anno MCXXXV. illatæ, Daniam invaserit. Quippe Suentoslavam Boleslai filiam habuit Magnus Rex Sueciæ Daniæque conjugem, & ita in Cromeriana, sicut etiam aliis Polonorum historiis, annus MCXXXV. cum MCXXV. perperam est commutatus, atque interitus S. Canuti Ducis, Magni & Nicolai regum, cum cæde S. Erici regis est turpiter confusus. Miror proinde, quod nec Danicorum, nec Polonicorum ul us scriptorum, tam foedum animadverterit hactenus errorem, quem ego primus omnium detexi.

Nota DXXXI. Reliquit filium ex Suentoslava Magnus Canutum, Roschildiæ anno MCLVII. fraude Suenonis III. peremptum, quo genitus fuit Valdemarus Slesvicensis Episcopus. Hujus vero facit Huitsfeldius fratrem S. Claudium Arhusensem, & subinde fratris filium, prout liquet ex historia Canuti VI. p. 47. Sed neutra verisimilis opinio videatur cum Magnus, qui avus putatur, Suentoslavam duxerit anno MCXXVIII. & S. Claudius MCXL. proiectæ homo ætatis, terram cœlo commutaverit. Alios itaque majores & progenitores S. Claudio investigandum est.

Nota DXXXII. David Chytræus in tabula Regum Danicorum, suo prefixa operi, cædem S. Canuti Ducis anno MCXXXVI. factam, sine veritatis narrat suffragio, cum ea contigerit MCXXXI. Nec minus illi labuntur Sueciæ Chronographi, qui anno MCXXX. vel MCXXXII vel MCXXXVII. vel MCXXXIX. veneno sublatum somniant Ingensem, Sueciæ regem, confundentes filii necem Ragvaldi, cum parentis interitu, quem subiit MCXXIX.

Nota DXXXIII. Suercherum Ostrogothi mox regem salutant, & Sueci Ragvaldum, qui certò fuit Ingonis filius, ut constat infallibili Saxonis testimonio pag. 208. & propter nimiam animi corporisque elationem, appellatus fuit Knaghöfdi, hoc est rigidæ cervicis, non Knaphöfde, & trucidatus à Vestrogothis, arrogantium illius detestantibus, anno MCXXXII.

tumulatusque, ut quidam sentiunt, in cœnobio Vretensi. Quanquam alibi sepultus mihi videatur, cum Ragvaldus ibi humatus, in quibusdam cœnobii literis, vocetur Magni frater, & si Magnus Nicolai Danici filius intelligatur, certum sit quod Ragvaldus ipsius fuerit avunculus, non frater. Huic alia ratio accedit, quod Suercherus Gothiæ modo tenens dominium, vix permisso credatur, ut Ragvaldus hostium maximus in Gothia tumulo mandaretur.

Nota DXXXIV. Easdem propter rationes non mihi persuadere possum, Magnum Sueciæ Daniæque regem in Vretensi pariter Ecclesia esse conditum; sicut etiam propterea, quod vetustum in sepulchro Magni epitaphium, non regiæ conveniat dignitati, & novum sit erroribus plenum. Quocirca existimo, illud potius esse Magni Maneschiod, quam Magni regis, cuius impietatem, non pietatem inscriptio sepulchri reætius accusaret, quam hanc commendaret, & immeritam contineret laudem epitaphium.

Nota DXXXV. Quidam Johannem Suercheri filium anno MCXXXVII. à furente interfectum Ostrogothiæ plebecula fingunt, cum natus modo non ita pridem fuerit, & Suenone III. dominium in Dania obtinente, bellumque cum Suerchero post MCL. gerente, Johannes occubuerit.

Nota DXXXVI. Suercherus Ostrogothiæ post Ingonis obitum soli hæc tenus dominabatur, & Sueciæ gubernaculum obtainuit anno MCXXXVIII. factus ita regni utriusque Monarcha. Cæterum de altero Suercheri matrimonio, quod cum Suentoslava Magni vidua relicta contraxerat, altum fuit in Suetica silentium historia, velut etiam figmentum in ea de Boleslao, quem Alvilda genitum falso tradentes Sueciæ annales, Burislevum inscitè appellant, qui Boleslavus ab avo dictus esset materno.

Nota DXXXVII. Suscepit filiam Suentoslava ex Jaroslavi Wladimiriensium Ducis amplexibus, Sophiam, Valdemaro I. Danorum regi postea elocatam, quam Huitfeldius modò filiam Suercheri modo pri-vignam nuncupans, largam præbet ansam lectoribus, à semita veritatis deviandi; Quos tamen posteā in veram deducit semitam.

Nota DXXXVIII. Major tamen occasio errandi scriptoribus porrigitur in historia Norvegiæ, quam Thiodolphus inchoavit, Islevus continuavit, & Arvidus quidam, anno MCCLXIII. consummavit. Quod tamen evident periculum, si dominio Ingonis, Haraldi Gille filio tantum XX. annos tribuerint. Alias si XXV. prout Arvidus facit, præcedens annum MCXXXIII. temporis calculus, cum sequenti usque MCCLXIII. non conveniet. Quocirca cum Norvegiæ Chronographi hæc tenus illud non observaverint, nec à MCCLXIII. ad MCXXXIII. quo labente, Ingó cum fratribus sceptrum fuit adeptus, regredientes, legitimè suppaturerint, nemo illorum synceram tradidit Norvegicarum rerum chronologiam.

Nota DXXXIX. Præfata non convenit Norvegiæ historia, cum ea quam scripserat Crantzus lib. V. Nor. de rebus per Ingonem, hujus fratres ac æmularum alios, gestis; tutius autem, meo est judicio, illam sequi, quam istam, quod Crantzus, à Saxone nimium seductus, hoc loco, velut alibi passim plus æquo fabuletur. Immerito tamen illi succenset soli Vellejus propterea pag. 407. sicut etiam, quod non paucos in catalogo regum Noricorum omiserit principes, cum plus culpæ in Saxone, quam Crantio, qui fisis illius narrationi, suam inde conscripsit historiam, omnium recte sentientium judicio, resideat.

Nota

Nota DXL. Omnes omnino Sueciæ Chronographi asseverant, Nicolaum Romanæ Cardinalem Ecclesiæ, Anglicum, & Albanensem cognomine appellatum, anno MCXLVIII. Archiepiscopam in Suecia seu Gothia ex permisso Eugenii III. conatum instituere. Qui tamen inde manifestissimi convincuntur erroris, quod Norvegis Archipræfulem ordinaverit consecraveritque anno MCLII & mox Sueciam intraverit, similes ipsi honores collaturus, Porrò hinc dictus profluxit error fœdissimus, quod Suetici scriptores, adventum Guilhelmi Sabinensis, qui contigit anno MCCXLVIII. cum isto Nicolai Albanensis, qui accidit MCLII. imperite admodum confuderint.

Nota DXLI. Saxo p. 221. insignem quoquo modo excusaturus despetum, quem Suercherus Gothorum Rex, Nicolao Danorum, sponsa ipsi Alvilda per vim erecta, irrogavit, eam à corrivali defloratam fuisse, comminiscitur, licet Nicolao non contigerit Alvildæ conspectus unquam, multò minus amplexus, ædibus in Norvegia paternis, antè voluntarium in Gothiam abitum, continuò demorantis, non Daniam pervagantis, & Nicolao se proflituentis.

Nota DXLII. Ut Saxo nuptias, ità Crantzius in sua Suecia lib. V. cap. 18. genus fugillat Suercheri, extenuatque, licet nobilissimis esset ortus majoribus in Gothia, prout Saxo pag. 221. etiam non inficiatur, & historia Sueonum ipsi veraciter suffragans, Baronum & Comitum prosapia genitum contestatur, illorumque producit suo Chronico genealogiam Olaus Nericius, quam in meo similiter theatro Nobilitatis Suecanæ pag. II. introductam licet contemplari.

Nota DXLIII. Similes generis sustinet columnias S. Ericus, Suercheri apud Sueones successor, ab osoribus, & Caroli Magnique fautoribus, immerenti prorsus obtrusas. Quibus unico licet argumento, contumeliosa obstruere ora, differendo, quod Christinam, regis Ingonis filiam, & viduam Jaroslavi Uladimiriensium principis, non obtinuisse sanè conjugem, quam antequam throno potiretur Suetico, duxerat, si agriculta seu sculteto fuisset natus parente, velut adversarii falso ipsum columniantur.

Nota DXLIV. Porrò Christinam Ingonis filiam prius Jaroslavo nupsisse, quam Erico, illud testatur S. Vilhelmus, quodam libello, quem contrà divortium Philippi regis Gallici & Ingeburgis, Valdemaro primo Rege Danorum progenitæ, isto mundi ævo conscripserat. Altum verò in Sueonum annalibus, de illo est silentium.

Nota DXLV. Non in regio domi cubiculo, ut Saxo perperam sentit p. 245. verum foris inter Alebechium & Tolstadium Gothiæ villas, à proprio cæsus satellite, occubuit rex Suercherus, velut historia convenientius veritati prodidit Suecana; ex qua simul liquet, sicut etiam ex Danica Huitfeldii Tom. I. pag. 221. Suercherum anno MCLI. exeunte, trucidatum fuisse.

Nota DXLVI. Johannes Gothus lib. XIX. cap. 3. ab Olao Nericio deceptus, professionem SS. Erici & Henrici contra Finlandos anno MCL. existimat institutam. Sed Laurentius Norvegus, in sua religionis confessione, annum illi deputat MCLIII. huicque biennium addens calculo Olaus Gothus lib. IV. cap. 18. memorat S. Ericum Finlandos anno MCLV. sibi & Christo subjugasse. Quæ vera est assertio, non priores; ita tamen ut MCLIV. Finlandiam invasisse regem Ericum, & sequenti S. Henricum ibi pro Christo cecidisse, annalibus inscribatur. Enimvero alibi constet Olaus Nericius, veterum nixus testimonio historicorum, quod S.

Henricus cum Nicolao advenerit Albanensi primum in Sueciam, atque cum mox demonstrabitur legatum anno MCLII. non MCXLVIII. huc penetrasse, quomodo est verisimile, S. Ericum, socio B. Henrico, Finlandos anno MCL. impugnasse?

Nota DXLVII. Non Rendamechenis apud Finlandos Episcopa, sumpsit modò exordium, sed Ecclesia Finlandiæ novella, Upsalensi auscultavit Præfuli usque MCLXXII. quando proprium consequitur Antistitem Rodolphum. Ideoque in bulla Pontificis, quâ Sueciam anno MCLXIII. ornavit Archipræsule, Rendamechenis, seu Abogensis non fit mentio Episcopatus.

Nota DXLVIII. Proprium verò Norvegia fuit Archiepiscopum naœta, Joannem, anno MCLII. non MCXLVIII. ut hoc Sueonum annales minus rectè tradunt; nec MCLIV. sicuti Crantzius lib. V. c. 7. suæ scribit Norvegiæ, & Huitfeldius in Chronico Daniæ Ecclesiastico perperam subscribit. Sed comperiens historiam sibi & Crantzio contrariam Norvegiæ, in Catalogo Præsulum Nidrosiensium, ad libri calcem posito, se nonnihil corrigit, & Johannem MCLII. designatum; ast MCLIV. consecratum afferit; non tamen veritatis argumenta evadens. Nam in primis ex Chronico liquet antistitum Nidrosiensium, undè catalogus ille desumptus est, quod Johannes sit Archipræsul Norvegiæ salutatus MCLII. idque à Nicolao Cardinale, & sine dubio mox inauguratus, non MCLIV. quando Anastasius Eugenii successor, missis in Norvegiam literis, acta nuper illic per legatum sedis Apostolicæ Nicolai confirmat; sicuti Huitfeldius ipsemet in historia Daniæ politica Tom. I. pag. 223. confitetur. Deinde pag. ibidem priori, testatur Huitfeldius Suenonem Daniæ regem, Suecis bellum movisse anno MCLIII. Sed ex Saxone p. 238. Crantzioque lib. V. Dan. cap. 33. constat, quod Nicolaus Cardinalis anno præcedente sub initium brumæ, ex Suecia in Daniam adveniens, illam Suenoni profectionem frustrâ dissuadere fit conatus. Ac propterea hinc, velut etiam indè, quod Nicolaus Roman ingressus, offendit Eugenio nuper mortuo successisse Anastasium, idque MCLIII, non obscurè colligitur, honore Norvegiam Archiepiscopali fuisse anno MCLII, decoratam.

Nota DXLIX. Siquidem verò concorditer narrent Scondiæ scriptores, Nicolaum ex Norvegia in Sueciam esse profectum, & hinc Daniam versus eodem currente anno, magis proditur Sueticorum error annalium, qui Nicolaum anno MCXLVIII. Lincopiæ Concilium celebrasse, & Archiepiscopum Suecis Gothisque tum prætentasse, commemorant.

Nota DL. Suam qua fide Saxo scripsit historiam, si non aliundè constaret, ex relatione profectò innotesceret abundè, quam pag. 238, instituit de bello Suenonis Daniæ regis in Suecos gerendo. Quippè non solum legato, rationes affingit, cum maxima gentis Sueticæ ignominia conjunctas, quibus Dano expeditionem dissuasissimè putaretur; Sed pluribus ipsemet nostros mendaciis insuper onerat, quam Sueno armis, & inter alia, regem Suercherum nimio perculsum timore, latebras captasse fabulatur, qui anno MCLI. mortem oppetivisset. Quod Crantzius lib. V. cap. 19. Suecifigmentum depræhendens, sub Carolo Suercheri filio, istam Suenonis irruptionem contigisse, memorat. Verum Huitfeldius pag. 222. paucissimis solum verbis, illius meminit expeditionis, quam Danis infortunatam fuisse confitetur, non ausus Saxonis diutius inhærere calumniarum lacunis, nè cum Crantzio aliisque macularetur.

Nota DLI. Cæterum Saxo pag. 233. non hujusmodi formidans indè labeculas, pergit calumniari, fingitque impudenter principem Canutum, Suercheri privignum, invisendæ matris gratia Suentoslavæ Sueciam ingressum

sum, tanta ibi penuria laborasse alimentorum, ut suis illic prædiis venditis, illa sibi comparare cogeretur. Nam si advenis prorsus ignotis, Adamo pag. 140, Crantzio in *Præfat. Sueciae*, & Erasmo Læto pag. 57. testibus, Sueones certatim tanta præbere soleant alacritate alimentum, quanta nullus ullibi terrarum populus, quomodo est verisimile, quod notissimum & charissimum Reginæ filium, tantæ rerum inopiae permiserint exponi? Sed facest ille sycophanta cum suis imposturis.

Nota DLII. Nicolaus Anglicus, mortuo Anastasio, summus Romæ Pontifex factus, & mutato nomine, Hadrianus IV. dictus est, quam promisisset Eschillo Lundensium Præfuli anno MCLII. in Sueonum, Gothorumque Ecclesiæ authoritatem, eam anno MCLVI. liberalissimè juxta & firmissimè concessit. Contrarium verò frustâ nititur probare Johannes Gothus, libro suæ historiæ XVIII. cap. XVIII. & libro XIX. cap. VI. Quandoquidem cauſſæ faveant Danorum, bullæ Alexandri III. & successorum in Cathedra Romana, usque Urbanum V. qui anno MCCCLXVII. Sueciam à jugo Antistitum liberavit forte Lundensium. In cuius memoriam beneficij Sueones perpetuam Deo gratiam exhibuti, & illud animis devotis reculti, statuerunt, ut quotannis feriam IV. Natalis Dominici, Paschæ & Pentecostes, qua par esset solennitate ac pietate, celebrarent. Quamvis alii sentiant, propter liberatam totius Scondiaë Ecclesiæ à jugo Hamburgensium, minus tolerabili, eam esse festivitatem Scondiis imperatam universis; quorum non reluctor opinioni, si probaverint, Danos & Norvegos, quartam earundem feriam sollennitatum, non minus quam Sueones, annuatim celebrare. Id tamen in confessu est apud nostrates, quod memoriam recolant ab utroque jugo liberationis.

Nota DLIII. Proinde Lundenses Archiepiscopi, ab anno MCLVI. usque MCCCLXVII. primates, non principes fuerant Daniæ simul & Sueciæ, per easdemque sedis Apostolicæ legati. Nec enim vera scribit Huitfeldius in Chronico Daniæ Episcoporum, cum ibi fallò asseveret in vita Eschilli Scondiæ Antistites per Daniam, Sueciam & Norvegiam legatione olim functos Apostolica, prout Nidrosiensium titulus Archipræfulum, eam sibi prærogativam vendicantur, liquido mecum testatur,

Nota DLIV. Communis est authorum sententia, Sueciam hujus temporis scribentium historiam, quod Rex Suercherus, & quidam antecessorum, fundamenta posuerint basilicæ, ubi hodie persistit, Upsalensis, & S. Ericus illam continuaverit fabricam, ad ipsum fermè frontispicium. Sed falluntur magnoperè, cum Ingo sit mortuus MCXXIX. & Rex Suercherus MCLI, & S. Ericus MCLX. Carolus autem anno MCLXIV. impetraverit licentiam ab Alexandro III. Cathedræ ad veterem transferendæ Upsaliam, à nova seu rurali, velut ipsamet testatur bulla, Petro Arosiensium Episcopo perscripta, ceu Romanæ curiæ per Sueciam Commissario perpetuo. Nec profectò credibile ulli videbitur, quod, non impetrata licentiâ, Reges Sueonum & Præfules, tantæ manus fabricæ admoverint. Deindè si anno MCLX. ibi Ecclesia extitisset inchoata, & tantum consummata, non in profano fuisset loco, admodum vicino, funus S. Erici tumulatum in primis, & posteà translatum ad priam Cathedræ Upsalensis basilicam, dimidio ab illa stadio distantem, sed intrâ muros novæ conditum fabricæ, dubio procul fuisset. Sic igitur veterum intelligenda, his de rebus, contraria propemodum narratio, quod S. Ericus & hujus decessores, Episcopalem in Upsalia rurali fundatam primò Cathedram, bonis dotarint amplissimis, Ecclesiam ibi fabricaverint pro istius ævi moderata consuetudine nobilissimam, & supellectili ornaverint elegantissima, in qua etiam S. Ericus sacris operam dedit, non hodierna Upsalensi basilica, quando hostium intellexit adventum.

Nota DLV. Multiplex similiter est opinio nostratium Chronographorum, de anno, quo currente, proprium Suecia est Archipræfulem consecuta; Quippe nonnulli MCLX. alii MCLXI. reliqui MCLXII. vel MCLXIII. aut MCLXIV. annis contigisse, posteris tradiderunt. Verum accidit anno MCLXIII. prout ex bulla manifestè liquet confirmationis, quam Alexander III. Candidato Sueciæ Stephano super Archiepiscopa regni eo tempore dederat, quandò subdidit illi velut Metropolitano Scarensem, Lincopensem, Stregnensem & Arosiensem, Episcopos, tanquam suffraganeos seu Corepiscopos; Nec plurium fit in bulla mentio diœcœsiū, cum Vexionensis udhuc Scarenſi auscultaverit, non Lundensi, ut perperam opinatur Olaus Nericius, & Abogensis nec dum fuerit instituta Episcopa.

Nota DLVI. Tenebatur Suecana nihilominus Ecclesia Lundensem agnoscere primatem; proindè fallitur Huitfeldius in historia regis Canuti VI. pag. 17. ubi modo illam obedientiæ subtractam fuisse Lundensis Archiepiscopi, postquam esset proprium adepta, prohibet. Alibi tamen crebro Huitfeldius istius non sat memor assertionis, contrariam propugnat sententiam. Porro multis antè Daniam annis, Suecia suum habuit Archipræfulem, sicut constat de Omundo, qui circa annum Christi MLIII. primatum in Ecclesia patriæ sibi vendicavit; quo tamen protinus, auctoritate Bremensis Archiepiscopi superatus, se abdicavit.

Nota DLVII. Quidam nostræ minus gnari antiquitatis, ab Ingone Rege Cœnobium esse conditum Vretense anno MCLVI. nugantur, cum XXVII. annis prius decesserit Ingo, & S. Ericus gener illius, rerum eo tempore in Suecia potiretur. Non minus fabulatur in sua Crantzius Suecia tib. V. cap. 22. ubi S. Ericum, cum Erico cognomine Balbo, videlicet proavum cum penepote, confundit, annumque similiter MCLX. cum MCCXLIX. commiscet.

Nota DLVIII. Magis porro Huitfeldius est culpandus, quod non ex infœtia sed malitia crimen falsi committens, ut priscam regis Sueciæ nonnihil elevet jurisdictionem, in Gotlandiam, & duodecimo post Christum seculo, Germaniæ principes, aliquid sibi juris in ipsam simul arrogasse, nec solum ad Gothiæ regnum spectasse demonstret fraudulenter, in historia regis Valdemari IV. pag. 555. eam violenter insulam Daniæ molientis subdere, narrat anno MCLIX. Visbycensibus talia negotiatoribus ab Henrico Saxonum & Bavarorum principe, concessa esse privilegia municipalia, qualia prius Lotharius Cæsar, emporiis concessisset Vandalicis. Nec ullius testimonium scriptoris pro ista allegat sententia, ut neque posset, cum omnis memoria hominum & historia, illam nostratibus insulam, à primo Gothorum de Sondia egressu adjudicet. Ad Sueciæ propterea regem, non Saxoniam Ducem, pertinebat, Visbygio privilegia hujusmodi concedere. Similem quoque fraudem Huitfeldius committit in historia Erici Cyprii pag. 197. ut Daniæ suæ nonnihil fuisse juris in Gotlandiam initio seculi etiam duodecimi, ostendat. Ibi namque asserit, à præfato Danorum Rege, Ecclesiam in Gotlandia fuisse constructam, cui primo in eam religionis Christianæ promotore. Verum Guilhelmus Sabinensis legatus Pontificis, sequenti visitans seculo in ipsa, suis testatur literis, deinceps producendis, Gothiæ Princibus & Præfulibus illud esse tribuendum. Perperam vero legit Huitfeldius in Adamo pag. 137. undè suam mutuasse videtur narrationem, Gotlandiam pro Curlandia. Nam in hac memorat ille, instinctu Suenonis Ulphonii, non Erici Cyprii, primam, à quodam mercatore Christiano illic fundatam esse olim Ecclesiam.

Nota

Nota DLIX. Cæterum quæ Saxo p. 277. & Crantzius lib. V. Norv. pag. 413. & 416. commemorant de Valdemaro Danorum Rege anno MLVIII. Norvegiam impugnante, ac Erlingo hostium antesignano latebras captante; sicut etiam quæ subdit de amnestia inter utrumque deinceps constituta, ne vestigium profecto veritatis habent, quemadmodum sincerissima historiæ Norvegicæ per Arvidum fol. 103. & 104. conscriptæ, demonstrat his de rebus narratio

Nota DLX. Secundum Ecclesiæ Hamburgensis Chronicon, M. Adami adjunctum historiæ, in vita narrat Hartvici pag. 58. quod Fridericus Imperator, anno MCLXIII. in Comitiis Methensibus, seu Vesontinis, Valdemaro, Danorum Regi, ex mandato ibi Cæsaris comparenti, non Daniae solum, ast etiam Sueciæ regnum donaverit. Quibus addit noster Ericus Upsalensis pag. 100. simul Norvegiam, ita dominium totius Scondiæ Dano permisum insinuans. Sed uterque scriptor, indè falsitatis convincitur, quod Imperator, solum Valdemaro indulserit possessionem Vandaliæ, seu quidquid esset regionum trans Albim juxta mare Balticum, non trans mare in Scondia, ut imperii se agnoscens vasallum, Dianam susciperet in feudum, quam & hac lege capescit, non Sueciam, nec Norvegiam, utpotè in quas nihil unquam fuit juris, Imperatoribus Romanis. Quo etiam tempore, Carolus in Suecia, & Magnus in Norvegia, dominium habuerunt abolutum; non Cæsarem, neque Danum, agnoscentes ullatenus dominum. Atque Vandaliæ spem solius, Valdemaro ibi factam, confitetur Saxo Danicus lib. XIV. pag. 273. sicut & Crantzius lib. VI. suæ Daniæ cap. XVII. Ne verbo etiam vel unico, Huitfeldius in sua historia meminit Sueciæ aut Norvegiæ, Valdemaro assignatarum, licet regis Valdemari cum Friderico colloquentis, in Ecclesiastico & Politico faciat Chronicò mentionem. Immò nec in historia Abelis, ubi queritur de Regina Megtilde, propter exulta Cæsarist diplomatica, Valdemaro in conventu data Vesontino, Danis jus in Vandaliæ tribuentia, quicquam de tali suggerit Danorum in Sueciam & Norvegiam, jurisdictione. Quam tamen neque ille, neque Saxo, aut Crantzius, silentio involvissent, si vel unicam de hac re syllabam in Daniae Archivo invenissent. Cæterum hinc profluxit error, quod, cum Hartvicus, Bremenium Antistites, in Comitiis Vesontinis, suæ urgeret Ecclesiæ jurisdictionem in Scondiæ regna, prout eadem testatur Historia Hamburgensis pag. 58. & Crantzius in Metrop. lib. VI. cap. XLVI. quidam textu fraudulenter corrupto, causam Hartvici, triuerint Regi Valdemaro, ex Ecclesiasticaque fecerint Politicam, & hoc quidem in gratiam Danorum, Sueciæ olim ac Norvegiæ nimis inhiantium.

Nota DLXI. Intercessione commotus Stephani Sueonum Archiepiscopi, Alexander III. insulam subdidit Rugianam, Præsuli Roschildensem, anno MCLXVIII. quoqd jurisdictionem Ecclesiasticam. Ita Pontificis fatetur bulla, quam Huitfeldius Tom. I. pag. 230. producit, contumaciæ & fallaciæ illos arguens, qui partem tuentur contrariam, sine ratione. Immò Ericus Upsalensis, non suspectæ scriptor fidei, p. 97. afferit, Stephanum in Dania hoc tempore non pauca laudibus digna esse operatum;

Nota DLXII. Nam in primis Rodolphus Ripensis Antistes, Stephano cum aliis Episcopis ibi sequestro, causam obtinet contrâ suos in Capitulo Assessores; qui etiam promotione Stephani conterranei, ab Alexander III. Stephano plurimum favente, prius bullam in rebelles impe travit, quemadmodum in Chronicò Huitfeldius Ecclesiastico fol. 18. non inficiatur.

Nota DLXIII. Deinde Stephanus anno MCLXX, & Eschillus Da niæ

niæ Archipræfūl, S. Canutum Ringstadii sollenniter de tumulo levant, velut Huitfeldius in historia commemorat regis Valdemari primi pag. 232. licet in Ecclesiastica aliam falso prætendat caulam, moræ in Dania Suetici Archipræfūl.

Nota DLXIV. Saxo fœdissimis falsissimisque maculat calumniis, Suerronem Norvegiæ regem clarissimum, & Saxonem pag. 483. Vellejus translator excusaturus, affirmat, ipsum minus ideo vera de Suerrone literis mandasse, quod infensissimus esset Suerro Regis Valdemari hostis, quodque Saxonem mors prius abstulerit, quam veriora de Suerronis ortu potuerit explorare. Qua profectò excusatione, Saxo magis culpatur, tanquam infidelis historicus, quam excusatur; sed digna operculo patella.

Nota DLXV. Magnus Erlingius Suerronis æmulus, anno MCLXXIV. occubuit, non anno MCLXXIV. vel MCLXXVIII. prout quorundam falsus continet calculus. Nam MCLXXVII, non prius, se Magno, à Byrchebinderis compulsus, opposuit Suerro.

Nota DLXVI. Non sub Carolo Sueonum rege Haraldus Schienck Scaniam impugnavit, velut Crantzius lib. V. suæ narrat Sueciæ, cap. XXI. verum rege Canuto; siquidem illa contigit expeditio in Sconiam anno MCLXXXII. quando Suecis Rex Canutus dominabatur. Falta etiam Gothus lib. XIX. cap. VIII. & IX. de præfata commemorat Sueonum excursione, velut Huitfeldii demonstrat Chronicon Tom. II. pag. 3. & ipsamet per se indicat Johannis narratio.

Nota DLXVII. Prælustris Rex Danorum Valdemarus, hoc nomine primus, in fata concessit ultima, secundum probabiliores Daniæ Chronologias, anno MCLXXXII, non MCLXXXV, sicut falso Chyträus in suis tabulis annotavit. Ostenus etiam Norvegiæ II. Archipræfūl, mundo valedixit anno MCLXXXVII. non MCLXXXIII. licet hoc Huitfeldins existimet, gesta Ostensi non rectè tempori accommodans.

Nota DLXVIII. Quædam historiæ Danicæ fragmenta, teste nostro Erico Upsalensi pag. 102. narrant Finlandiam à Canuto Danorum rege armis subactam fuisse anno MCXCII. Idque si verum est, non propter eas accidit causas, quas Ericus allegat, sed potius quod Canutus Sueonum Rex Valdemaro Slesvicenium Episcopo, Daniæ thronum affectanti, tulisset fortassis auxilium, & Danum ita provocasset ad infestandum Sueciæ vicissim regiones, postquam victoriam de adversario reportasset.

Nota DLXIX. Priscum Nordalbingiæ Chronicon, Saxonice impressum, eodem putat anno Canutum Daniæ regem obiisse, annum confundens MCCII. quo mortem oppetiit, cum MCXCII. quo non cum morte, sed Valdemaro luctabatur Episcopo.

Nota DLXX. Canuto Sueonum Regi; omnes fermè scriptores Suetici, statuunt annum MCXCII. etiam funestum, quorum ego correi errorem, quodam authentico informatus documento, quod Regem Canutum vitâ functum memorat anno MCXCV. sicut etiam literis quibusdam regis Suercheri Canuto succedentis, anno primum MCXCVI. vel sequenti.

Nota DLXXI. Non minus fallitur Arvidus, Norvegiæ Historicus fol. 135. qui Suerronem morte sublatum existimat, anno MCXCV. quo fuit primum coronatus. Enimverò hunc ipsem alibi prodit errorem, qui etiam indè magis proditur, quod libris decretalibus, quædam extet Bonifacii VIII. ad Suerronem epistola, ideoque cum is cæperit sedere anno MCXCVIII, non mortuum anno MCXCV. Suerronem quis non videat?

Nota DLXXII. Isto mundi labentis ævo, quidam Colo, Princeps Fin-

Finlandiæ & Præsul Ostrogothiæ, ex sententia Erici Upsalensis pag. 119. sedit Lincopiæ, cuius ille obitum anno MCXCV. notat contingisse; sed alii MCXCVI. Reliqui autem MCXCVIII. ipsum sentiunt obiisse; potius tamen Erico adhærendum existimo. Nec minor est discordia inter Sueciæ Historicos, de plerisque successorum, quo videlicet tempore insulam naœti sunt Lincopensem, & quandò eandem mortis violentia compulsi deseruerint, quos ego, quantum mihi licuit reconciliare, verosque annotare calculos temporum, conatus sum.

Nota DLXXXIII. Si quis schemata Regum Noricorum genealogica, cum illo paulisper catalogo contulerit, quem Crantz in sua Norvegiæ sequitur historia, non difficulter sanè animadvertiset, quantum ille à veritatis deviet passim tramite. Fidelem quoque operam impendi, corrigendis Antistitutum Noricorum Catalogis, quod eos Huitfeldius, non paucis refertos erroribus, publicasset. Quod etiam beneficium ipsis Daniæ Præsulibus, non solum Islandiæ & Groniandiæ Episcopis, simul exhibui, prout Scondicæ peritus antiquitatis, lector, meis pervolutis annalibus, lubens confitebitur.

Nota DLXXXIV. Rex Suercherus, Caroli Regis filius, Canuto fuit subrogatus, anno MCXCVII; Siquidem in suis literis MCC, vocet annum sui regiminis quartum, & cum Antecessor certò sit mortuus anno MCXCV. velut antea demonstravimus, intercedens arbitror tempus, à Caroli & Canuti filiis, de sceptro impensum disceptationi. Non igitur probabilis aliorum sententia Chronographorum, qui hactenus Suerchero diadema regni, anno MCXCII. porrexerunt.

Nota DLXXXV. Hinc simul error proditur illorum, qui anno MCXCIX. monachis à Canuto rege Juletenibus, partem Elfvecarlebyanæ piscaturæ donatam, falso adnotarunt; Siquidem Rex Canutus tum quadriennio mortuus fuerat. Sed cum donationis adhibeatur in Diplomate testis Stephanus, Regni Archipræsul, qui MCLXXXV. vitam morte commutavit, existimo factam potius hujusmodi donationem anno MCLXXIX, & librariorum injuria, illam anni notam, loco hujus esse inscriptam apographo.

Nota DLXXXVI. Prælustris Sueonum Jerl, Birgerus primus, anno MCCII. vitæ finem imposuit, sepultus in cœnobio Alvastrensi, non Birgerus II, quem tamen plerique Sueonum historici, cum illo turpiter confundentes, in Alvastro tumulant; licet ex testamento Magni Regis, constet certò certius, ipsum corporis requiem in monasterio consecutum Varnhemensi, non Alvastrensi, quod etiam Laurentius Arosiensis, in Chronico observavit rhythmico,

Nota DLXXXVII. Olaus Sueciæ Archiepiscopus, vivis excessit anno MCCVI. velut bulla testatur Innocentii, qua successor Valerius declaratur, & immunitas Ecclesiæ Upsalensi confirmatur. Falluntur proinde alii Sueciæ Chronographi, Olaum MCC. de vita migrasse narrantes; sicut etiam Huitfeldius, qui Saxonem in historia Canuti VI. pag. 70. asserit mortuum esse MCC. Nam Andreas Vellejus in præfatione, Saxoni Danicè translato præfixa, fatur ipsum finivisse suam historiam anno MCCIV. Quomodo igitur cohaeret eum anno MCC. naturæ debitum persoluisse? Verisimilior propterea est aliorum opinio, quam & ego amplector, obiisse Saxonem anno MCCVI. asseverantium.

Nota DLXXXVIII. Quod veritati convenienter Erpoldus Lindenbruchi in historia Regum Danicorum pag. 35. affirmat Suercherum anno MCCVIII. sub Lena Vestrogothiæ victoriam obtinuisse, non Suetici modò scriptores; ast etiam Danorum reliqui luculenter ostendunt, mendacii

Lindenbruchium arguentes, hosque inter consule Huitfeldium *Tom. II. pag. 89.*

Nota DLXXIX. Rossovius in Livonum Chronico *fol. 4.* mendosè scribit, Johannem Sueciæ regem anno MCCVIII. Ethoniam invasisse; quandoquidem throno fuerit neçdum potitus Suetico, & illa contigerit expeditio MCCXVIII. qui commiscetur annus perperam, cum MCCVIII. In Livonia etiam nostri cladem passi anno MCCXIX, non MCCXX. prout certissima probant regni documenta, contrà opinionis adversæ defensores.

Nota DLXXX. Ericus Sueonum Rex in fata conceffit ultima currente anno MCCXVI. & sequenti Johannes Suercheri filius orbum capescit sceptrum. Quippè propriis fatetur literis, quod annus MCCXIX. tertius fuerit sui regiminis, quo post suam ex Livonia reversionem inauguraratur. Alii verò Sueonum historici existimant, Johanni sceptrum non prius traditum quam MCCXIX. & interea Rechissam Erici viduam illud tenuisse. Sed nimis decipiuntur, cum Johannes anno MCCXVII. sit rex salutatus, & MCCXIX coronatus.

Nota DLXXXI. Uxor Erici sensim mœrore contabescens, moritur anno MCCXVIII. sicut Huitfeldius post varias de hac re opiniones se corrigens, cum Sueticis consentit annalibus. Nec verus Lindenbruchii calculus anno MCCXXII. vel aliorum MCCXX. illam de vita migrasse fabulantium, neque rectè tempora computantium.

Nota DLXXXII. Nimium fabulosa est quorundam in Dania scriptorum, de vexillo regni prætorio, vulgariter Danebrocha nuncupato, sententia, quod anno MCCXIX. in Livonia cœlitus lapsum comminiscuntur. Ideoque veritatem in hoc figmento patefacerem, nisi Huitfeldius in suo illud Chronico *pag. 107.* & meo idem ego, luculenter præstitissemus.

Nota DLXXXIII. Præmaturo admodum fato Rex Johannes fuit sublatus anno MCCXXII. quando successorem mox nanciscitur Ericum, cognomento Balbum. Ita probabiliores regni narrant historiae, errorem prodentes aliarum, quæ sepulchro tradunt Johannem MCCXXV, & Ericum throno collocant anno MCCXXVI, cum nimia veritatis profectò injuria.

Nota DLXXXIV. B. Hollingerus, Folchungorum unus rebellium, anno MCCXXX, non MCCXLVIII. licet hoc frequentius Historia teneat Suetica, fuit decollatus. Etenim anno MCCXXX. Ericus victor sub prædio factus Sparrefetensi, Hollingerum ex fuga mox reductum conjecit in vincula; nec credibile post octennales carceris squalores, primo fuisse capitì supplicio mulctatum. Cæterum origo non alia hujus fuit erroris, quam quod librarii dormitantes, pro Ulphone Jerl, qui mortem oppetiit MCCXLVIII. annalibus inscripserint Hollingerum Jerl.

Nota DLXXXV. Ulpho Archipræsulum unus Upsalenium, Eri-
co teste *p. 105.* turpiter haetenus fuit exclusus in catalogo illorum, qui
cum infulam sit nactus Upsalensem anno MCCXXIX, ponendus est in-
ter Olaum & Jerlerum I. Porro Cathedram Jerlero tradidit moriens
anno MCCXXXIV. Nec isto deceffit Olaus Ulphonis antecessor, prout
mendosus falso perhibet Upsalenium catalogus Præsulum.

Nota DLXXXVI. Corruperunt non minus Chronogiam Sueciæ, qui Regem Ericum, Lubecensibus à Dano impugnatis, scribunt tulisse subsidium anno MCCXLVIII. Quandoquidem ex historia constet infallibiliter Danorum, anno MCCXLVI. id contigisse.

Nota DLXXXVII. Pari nugantur modo, qui Birgerum Jerl, Eri-
ci regis auspicio, Finlandos anno MCCXL. impugnasse, Tavastburgum-
que tradunt fundasse, cum ea in hosticum expeditio fuerit instituta

MCCXLIX. nempè anno mortem regis præcedente; siquidem de ipsa Birgerus certior factus, initio sequentis anni, patriam indè festinus repetiverit.

Nota DLXXXVIII. Non ipse tamen, sed filius sceptro donatur Regni Valdemarus; cui nupsit Sophia, Erici Danici filia, MCCLXIII. non MCCXLIX. Istud tamen Huitfeldius in historia Erici V. p. 190. affirmat, cum veritatis & temporis injuria, cum sponsus nimis tunc fuisse juvenis, & a vunculus adhuc regnarit Ericus; quæ advertens postea Huitfeldius, se corrigit pag. 300. & MCCLXII. nuptiis Valdemari ac Sophiae rectius adscribit annum.

Nota DLXXXIX. Nec Ericus anno MCCXLIX. sceptrum capulo permutavit, veluti Crantzius falso supputat pag. 312. qui simul ibi S. Ericum, & hunc Ericum, videlicet pronepotem cum proavo commiscet, quemadmodum supra commonuimus.

Nota DXC. Proindè, nimium faciens saltum, intermedios IV. Suecæ reges, nimirum, Canutum, Suercherum, Ericum & Johannem, transiit. Crebri sunt tales apud Crantzum defectus, aliosque, qui minus versati in historia gentis cujuspam, illam tamen scribere non erubescunt.

Nota DXCI. Guilhelnum Sabinensem, qui fuit legatus in Scondiam Innocentii IV. non Gregorii IX. quidam MCCLXXVI. alii MCCXL. nonnulli MCCXLII. cæteri MCCLVIII. aut MCCL. vel MCCLXII. hic scribunt penetrasse. Quorum illi solum veritati proprius accedunt, qui MCCXLVIII. annotant. Quoniam cum expeditus fuerit, ad imponendum Haquino Noricorum Regi diadema, & istud peregerit certò negotium anno MCCLVII. rebusque in Norvegia suis aliquandiu constitutis, Sueciam indè accesserit; hinc concluditur, anno MCCLVIII. in Suecia, Gothia & Gotlandia, ipsum visitasse.

Nota DXCII. Sueci & Norvegi, anno MCCLIII. Daniam terrâ marique horrendum infestant, & sequenti bellum restaurantes, Danus, missis legatis, placat, quadrimasque impetrat inducias, quibus anno MCCLVIII. transactis, colloquitur cum Norvego Haffniæ, & propè limitem cum Sueco. Quæ omnia in Chronico Daniæ ac Norvegiæ, confusa nimis inveniuntur. In meo autem ordinatius, ut spero, explicata digeruntur.

Nota DXCIII. Crantzius libro VI. cap. XIV. Norvegiæ, falso narrat, Danos à Norvegis Suecisque infestatos anno MCCXL. cum infallibilis sit Danicæ calculus historiæ, & Norvegicæ, istud anno MCCLIII. & MCCLIV. accidisse contestans. Loco etiam allegato, Crantzius afferit, ab Haquino filium cognominem, fuisse trucidatum, unumque simul procerum; quod Scondica scelus occultat historia.

Nota DXCIV. Ingeburgis nobilissima Birgeri Ducis consors, anno MCCLIV. non MCCLXIV. ut nonnulli perperam annotant, mortis abripiunt violentia; Quæ non sepulta in cœnobio Alvastrensi, sed in Varnhemensi, quod prius etiam indicavimus.

Nota DXCV. Secundas adiit nuptias Birgerus Jerl anno forte MCCLVIII. cum Megtilde, Abelis quondam in Dania regis vidua, de quibus nemo scriptorum Sueticorum hactenus fecerat mentionem. Sicut neque, quod eadem sit Megtildis, cum illa quæ B. Megtildis vocatur Schenningensis. Ego tamen utrumque ex Danicis & Holsaticis erutum historiis, Sueticæ inscribendum censui, omissa Olai Gothi lib. VI. cap. 19. narratione, velut erronea.

Nota DXCVI. Birgerus Jerl, anno MCCLXII. prout vita indicat Colonis Episcopi, & fuga in Prussiam Caroli Ducis, non MCCLIV. Fochungos ad pontem dolo postravit Herevadensem.

Nota DXCVII. Uffo Lundensis Archiepiscopus, morti succubuit anno MCCLII, & Jacobus, non prius orbam concendit Cathedram, quam MCCLIV. indeque Huitfeldius delusus, nunc MCCLII, nunc MCC-LIV. obitum statuit Uffonis.

Nota DXCVIII. Fallitur Huitfeldius etiam in obitu Schuleri Dux Norvagiæ annotando Tom. II. pag. 157. qui non contigit MCCXL. veluti Norvegica demonstrat historia, rectius ad calculos revocata. Cum illo labitur quoque Crantzius; in alio tamen negotio, quod scilicet pag. 418. Magnum, Haquini filium, nominet Olaum, qui præterea nimium in historia Magni more suo fabulatur.

Nota DXCIX. Mors incidit Birgeri Jerl in annum MCCLXVI. ipsiusque contigit sepultura in monasterio Varnhemensi; propterea mendosa est illorum opinio, qui MCCLXVII. Birgero statuunt funestum, & tumulum in Alvastro ipsi pariter deputant.

Nota DC. Neque illorum admittenda computatio similiter, qui Laurentium Sueciæ Archipræsulem anno MCCLXVII. vel MCCLXX. vivis excessisse tradunt, cum certò migraverit anno MCCLXVII. velut Ericus testatur Upsalensis pag. 119.

Nota DCI. Quam verisimiliter nonnulli tradunt cœnobium Stocholmiæ insulanum anno MCCLXXX. impensis Magni fundatum, indè liquet quod regia non adhuc gaudens potestate, tantum juris non habuerit Stocholmiæ; Quod ipsum ex Magni constat testamento.

Nota DCII. Non MCCLXXIX. vel MCCLXXIV. Regis Valdemari contigit peregrinatio, prout Henninges & Huitfeldius Tom. II. pag. 329. comminiscuntur; sed MCCLXXIII. Neque frater Magnus, in absentia filii us thronum invasit, sicuti Crantzius pag. 312. in sua Suecia principi affingit insonti, quem mea refutat Chronologia, rem fidelius commemorans.

Nota DCIII. Neque convenient Sueciæ Chronographi de tempore translatæ à nova ad veterem Cathedræ Upsaliæ Archiepiscopalæ; si quidem nonnulli MCLX. vel MCLXIII. factum contendant, quandò solum licentia translationis fuit impetrata; quidam MCCLXX. aut MCCLXIII. quandò jam fabricâ basilicæ novæ propemodum consummatâ, Folcho candidatus in concilio Lugdunensi constitutus, anno sequenti, vel præsenti, pleniorum obtinuit translationis facultatem. Illi proinde confundunt tempus impetrationis & translationis, hosque inter est Ericus Upsalensis; qui tamen se deinceps pag. 131. corrigens, asseverat, anno coronati Regis Magni, translationem Cathedræ & S. Erici contigisse. Quocircà cum Magni testamentum, corona ipsum anno MCCLXXVII. donatum confiteatur, indè licet colligere, translationem quoque sedis factam anno MCCLXXVII. hactenusque fuisse solennitatem utramque illis impeditam tumultibus, qui cum maximo Regni detimento inter regem Valdemarum & Magnum vigerunt. Porro ad testamentum quod attinet regis Magni, cum in eo nominet annum MCCLXXXV. quo conditum est, octavum suæ coronationis; sicut etiam cum in Epitaphio Magnus dicatur mortuus anno MCCXC. nempè XIII. regiminis, evadit indè manifestum, quod diadema fuerit Magnus, anno MCCLXXVII. non MCCLXXVI. redimitus, & per consequens, eodem Cathedra cum exuviosis S. Erici, & veterum in Ecclesia Upsalensi Antistitum, translata.

Nota DCIV. Modo paulisper mihi regrediendum, & monendum Lectores, de minus tolerabili errore Arngrimi Jona, quem non puduit lib. III. p. 199. & 206. historiæ Islandicæ, afferere, Islandos non antè MCCLXI. à Norvegiæ regibus subjugatos fuisse, verum eò usque sua gayisos Ari-

ftuomia, seu Aristocratia. Siquidem omnis reclamet antiquitas, in Scondiæ passim Chronicis allegata.

Nota DCV. Pugnam sub Hova, inter Valdemarum & Magnum Danis stipatum, licet plerique Scondiæ historici factam anno MCCLXXVI. existiment; tamen priori eam in mea Chronologia censui tribuendam, quod is annus magis sequentium conveniat narrationi.

Nota DCVI. Tamen falsa illorum assertio, qui MCCLXXV, du-
tam à Magno Calmarniæ Hedvigem, tradunt. Nam si nupsisset Magno
Hedvigis, isto vel sequenti, coronata utique cum ipso fuisset anno M-
CCLXXVII. quod negant Ericus, Laurentius, & Gothus. Itaque con-
nubii celebratio hujus contigit sub exitum anni MCCLXXVII. sicut in-
ter alios testatur Huitfeldius in Chronologia istius anni *Tom. II. pag. 338.*

Nota DCVII. Plurimum tamen ille labitur in Chronico Ecclesiasti-
co, ubi asserit Magnum Sueciæ Archiepiscopum anno MCCLXXVIII. à
Lundensi Roschildiæ consecratum. Etenim mortuo nunc Folchoni, suc-
cessit Jacobus Erlandius, qui non paucis sedit deinceps annis, priusquam
morte sublatus, Magno Cathedram, relinquere.

Nota DCVIII. Nec minus idem fallitur in suis genealogiarum tabulis,
quas ad calcem ponit historiæ Valdemari IV. quod ibi narret Sophiam
Valdemari quondam in Suecia regis viduam, anno MCCXCV. nupsisse
Erico Langlandiæ Principi, cum ea fatis occubuerit MCCLXXXIII. co-
dem alibi teste Huitfeldio *Tom. II. pag. 354.* & binas postea successive ha-
buerit Valdemarus uxores. Sophiam proinde Valdemari & Sophiæ filiam
duxerat Ericus Langlandius, quo nomine, unam habuerunt. Tantum
veritatis illi secum habent, qui Sophiæ obitum MCCLXXXVI, vel
MCCXCI. accidisse commemorant.

Nota DCIX. Maritus Sophiæ Valdemarus, custodiæ fuit Nyco-
piæ mancipatus, anno MCCLXXXVII. non MCCLXXXV & multò
minus MCCXXXV, qui neque mortem obiit MCCXCI. aet MCCXCIII.
juxta synceros regni Suetici Chronographos.

Nota DCX. Idem simul veraciter affirmant, Rechissam, Valde-
mari & Sophiæ filiam, anno MCCLXXXV. nupsisse Primislao, Calisiensem
in Polonia Duci, non MCCLXXXVIII. vel MCCXCV. quo moriens Primis-
laus, Rechissam filiam superstitem decennem.

Nota DCXI. Johannes Gothus *pag. 625.* narrat Benedictum Magni
regis fratrem, anno MCCLXXXV. Praesulem Lincopiæ fuisse, licet suis ille
fateatur literis, se MCCLXXXVI. illud munera suscepisse; neque in fatam
modo etiam concessit, velut quidam alii fabulantur.

Nota DCXII. In sua Gothus narrat Metropoli, quod parens S. Bry-
nolphi Algotus, responso motus quodam, Folchungis, anno MCCLXX-
VII. à Rege Sueonum dato, filium miserit Lutetiam, ubi annis XVIII. se-
dulam navaverit operam bonis artium literis. Sed narratio veritati con-
traria est prorsus, cum emenso prius studiorum curriculo, Canonicum
tum ageret Lincopiæ, & MCCLXXXIX. infulam capesceret Scarensem.

Nota DCXIII. Frater Johannis Olaus, circè eundem quoque fal-
litur Antistitem, affirmans p. 550. ipsum regi Magno fuisse reconciliatum M-
CCLXXV. quod contigit MCCLXXXIX. Etenim Folcho rapuit filiam Suan-
topolci MCCLXXXVII. & cum propterea inter praesulem, velut fratrem ra-
ptoris, & regem discordia sit oborta, non potest reconciliatio hujusmodi
contigisse, anno MCCLXXXV. videlicet ante dissensionis primordium.

Nota DCXIV. Cæterum prima Folchungorum cum Magno rege
discordia, propter Ingemari cædem & Gerhardi Comitis orta captivatio-

nem, rectius calculantium judicio accidit, MCCLXXVIII. quam MCC-LXXXVIII. eamque Rex multatavit anno MCCLXXX. non post octennium.

Nota DCXV. Verum MCCLXXXVIII. rebellarunt, & belligerarunt Gotlandi, quos Nycopiæ argento mulctatos, gratiæ Magnus restituit pristinæ. Mentitur porrò Huitfeldius p. 556. in historia Valdemari V. quod Gotlandi, tum primam Sueciæ spöonderint subjectionem; Quippe à prima hinc Gothorum egressione, ut alibi demonstravimus, ad Gothos in Scondia remanentes, Suecosque illa pertinebat semper insula, nec scriptorum ullus Danicorum, potuit contrarium haec tenus nobis probare.

Nota DCXVI. Johannes Braelchius in suis Genealogiarum Schematibus asserit, cœnobium à Magno rege fundatum Västensense MCC-XXXII. Verum nec Magnus hoc nomine I. nec II. illo in Suecia tempore dominabantur, & licet annum intelligeret MCCCXXXII. quo Magnus in Sueonia III. imperabat, non tamen concedere illi possemus, eo monasterium tempore, prima noctum fuisse fundamenta; Siquidem infallibilibus constet documentis, anno MCCCXLVIII. illud surgere ascetrium occœpisse.

Nota DCXVII. Johannes Göthus in historia Birgeri Regis p. 660. negat Suecos mancipia olim vendere solitos fuisse, contrariam Olai Petri sententiam, adnitens confutare. Itaque Laurentius Nericius fratrem defensurus, contrà Gothum insurgit vicissim, & nixus priscarum testimonio legum, obtinet palmam, quam & ego ipsi lubens concedo, cum leges Birgeri anno MCCXCVI. latæ, vel potius emendatae; Sicut etiam codex Ostrogothicus & Västrogothicus causæ Olai & Laurentii, manifestè patrocinentur.

Nota DCXVIII. Cuidam tamen alteri non suffragor Laurentii sententiae, quâ scheleton S. Erici, quod Upsaliæ ostenditur, ideo suppositum esse nititur probare, quoniam tabula quædam in templo suspensa novæ Upsaliæ, narret, anno MCCCVIII. quando ibi sepulchrum est S. Erici repertum, minuta solum quædam in eo inventa fuisse di vi Regis ossa. Enimvero quæ in basilica hodiè monstrantur Upsalensi, ex Upsaliâ fuerant rurali translata MCCLXXVII. præfatis ibi minutioribus duntaxat relictis ossibus.

Nota DCXIX. Nicolaun Sueciæ Archipræsulem anno MCCXCV. suæ liberationem provinciæ, à Lundensium jugo impetrasse, certius est, quam ut in dubium possit vocari; Sed tamen nec minus illud est certum, quod Jſarnus, vel Esgerus eundem recuperarint primatum MCCCII. aut inter MCCCX. & MCCCXV. quo Candidatus Upsalensis Olaus, ab Esgero Lundiaæ fuerat inauguratus.

Nota DCXX. Non fidendum Erico Upsalensi, p. 147. Torchillum Canuti, anno MCCLXXXIX. tutorem regiæ sobolis, & regni gubernatorem à Magno esse ordinatum affirmanti; Quandoquidem Magnus morti proximus, quam obiit MCCXC. Torchillo id muneric commis erit, sicut authentica regni monstrant documenta.

Nota DCXXI. Succedit Magno filius Birerus, de cuius frustra dubitat inclito Crantzus genere, lib. V. c. 26. Suec. cum Scondicorum aliis nemo scriptorum ignoraverit, Birerum Magno esse parente genitum.

Nota DCXXII. Non minus in historia Magni III. idem nugatur Crantzus, ibidem cap. 27. & 28, utpotè, cui Magnum affingit filium, & hunc

hunc Sueciæ throno potitum anno MCCCXXV. somniat, atque pri-vignum fuisse Canuti Porse, Ducis Hallandici. Quo ille nugivendus paeto, ex uno facit Magno, geminum, cum Magnus III. idem fuerit Eri-ci Ducis filius, & Canuti privignum.

Nota DCXXIII. Maxima fuit etiam hactenus apud reliquos Scon-diæ historicos negligentia, in gestis Regum describendis Scondicorum, ab anno MCCC. usque MCCCXX. Quippè captivationem Birgeri, & regis Danieci, pro liberando sororio, ternam in Suecos expeditionem, inepte admodum commemorant. Similiter etiam Ducum Suecicorum cum Regibus factam amnestiam; Erici Ducis cum Norvego discordiam; illius cum Ingeburge ac Sophia connubium; Erici, Valdemarie capti-vatorum internectionem, quos Crantzus pag. 313. falso afferit decollatos; & Magni post vindicatum parentis, patruique interitum, ad thronum Sue-ciæ promotionem, jejunè ac confusè describunt. Quorum proinde, quantum licuit, in mea ego Chronologia, succurri negligentia.

Nota DCXXIV. Crantzus *ibidem* præterea comminiscitur, Magnum Birgeri filium, corona fuisse redimitum, licet solum fuerit parenti successor à Suecis salutatus. Cæterum Valdemaro & Erico fratribus, omnes fer-mè historici Sueciæ sepulchrum tribuunt Stocholmiæ in Ecclesia S. Ni-colai, licet secus testentur suis Patres Upsalenses literis, quibus Erico tumulum in sua concesserant basilica. Solus igitur Valdemarus Stochol-miæ, corporis naætus fuit requiem; Cujus sepulchrum, initio XVI. post Christum seculi, fertur quidam Sueno Magnus, sibi vendicasse, & per summum scelus Ducis inde cineribus in locum exportatis profanum, suam in eo sobolem, alio dignam sanè tumulo, humasse.

Nota DCXXV. Qui Haquinum Norvegiæ Regem anno MCCC-XXI. fingunt vitam terminasse, cum morte fuerit abreptus anno M-CCCXIX, illi confundunt obitum regis Birgeri, anno MCCCXXI, fi-nem vitae imponentis, cum Haquini migratione.

Nota DCXXVI. Jacobus Gilonius p. 88. anno MCCCXXII narrat con-tractum super emenda Scaniâ, inter Suecos & Danos, Holsatosque in-choatum fuisse, multis à veritatis calculo distans parasangis; Nam Sca-nia Holsatis nec dum oppignorata, & multo minus nostris emenda fuit præsentata.

Nota DCXXVII. Soror Magni regis Euphemia, nequaquam nü-psit Alberto Magnipolensium Principi, anno MCCCXXVI. sicut Hülfel-dius *Tom. III. pag. 337.* falso calculat; Sed juxta Crantzum, aliosque, M-CCCXXXVI.

Nota DCXXVIII. In hoc tamen fides Crantzio non est hahenda, quod libro V. suæ Sueciæ, cap. XXVIII, p. 314. perhibeat, Canutum Porse, privigno minorenne Magno existente, gubernaculò Sueciæ, Norvegiæ que assedisse. Nam Sueciæ quidem interea fuit gubernator, perillu-stris heros Matthias Ketelmundius, & Norvegiæ Prorex, optimatum primarius quidam Noricorum, extitit, quorum consilio & auxilio Ma-gnus, hujusmodi matris offensus nuptiis, ceu minus ipsi convenienti-bus, mox secundum eas, bellum vitrico inferendum censuit, non in consortem regiminis Suecici, Norvagicique eligendum.

Nota DCXXIX. Quoad controversiam Sueonum cum Danis, super emptione olim Scaniæ, Hallandiæ & Blechingiæ, harumque pro-vinciarum amissione, illam peculiari quodam, contrâ Petrum Rosefon-tanum libello, scimus ventilatam & determinatam. Quâ proinde hic o-

missa, solum Lectori suggesteremus, terminos solutionis, & ipsam precii summam, in nulla Scondiæ historia, præter quām mea, legitime describi. E-nimverò in primis Sueones, Johanni, Holsatiæ Comiti XXXIV. mille libras argenti, quas Regi mutuasset Christophoro, refuderunt; Deindè Scanis XXI. mille libras pro captivis, loco lytri numerandas, relaxarunt; Prætereà Haffniam, pro VII. millibus redemptam, Daniæ restituerunt; Et denique anno MCCCXLIII. quando ipsemet Rex Valdemarus, isti provinciarum subscriptis ab alienationi, eidem VIII. mille libras argenti defæcati, donaverunt.

Nota DCXXX. Non pauci Scondiæ Chronographi, annum celebratarum à Magno cum Blanca nuptiarum, cum anno inaugurationis, inscritè confundunt; Nam connubii frequentata fuit celebratio MCCCXXXV. & coronatio utriusque MCCCXXXVI. Hoc etiam anno nupsit Alberto Megapolensi soror Regis, Euphemia, quam proptereà falso quidam perhibent eodem fuisse mortuam.

Nota DCXXXI. Primus Magni & Blancæ filius, erat D. Ericus, quem Huitfeldius *Tom. III. p. 477.* anno MCCCXLVI. rei operam uxoriæ minus rectè tradit dedisse. Qui tamen error, librario potius, veterum imperito, adscribendus videtur, annum MCCCXLVI. loco MCCCLVI. fastis annotanti.

Nota DCXXXII. Hujusmodi socordibus etiam amanuensibus error imputandus est aliorum, qui Ulphonem Gudmarium, S. Birgittæ maritum, anno MCCCLIV. fatis scribunt ablatum, cum iis succubuerit MCCCXLIV. sicut ipsa testatur tumuli vetus inscriptio.

Nota DCXXXIII. Porrò S. Birgitta parentibus fuit nata Birgero Petersonio & Jngeburge, non Sigride, sicut perperam scriptor Apocalypseos Brigittinæ, memorat, qui aviam S. Birgittæ maternam, nomine Sigridem, & cognomine Pulchram, cum matre confundit per ignaviam Jngeburge. Ità verò se rem habere, vetera testantur diplomata, & ipsum Birgeri ac Jngeburpis Upsaliæ Epitaphium.

Nota DCXXXIV. Post mariti obitum, Diva eadem, dono prophetiæ inclarescens, inter alia edidit vaticinium de VII. trium regnum in Scondia Regibus, quod pag. CLXXVII. in Revelationum habetur volumine. Idque cum non modicum habeat obscuritatis, plurima hactenus fatigavit ingenia.

Nota DCXXXV. In eodem S. Birgitta volumine indicat, quando liceat Regibus coronam, & alia regni gestare in propatulo, insignia, nominatque solennia Natalis Dominici, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, Ascensionis, Assumptionis Virgineæ, Crucis ab Heraclio exaltatæ, Omnium Sanctorum, & quoties Rex pro tribunali sedens, arduam ferret sententiam, sicut etiam quando viros de patria bene meritos, cingulo donaret Equestri.

Nota DCXXXVI. M. Laurentius Nericius primus Evangelicorum in Suecia Archipræfulum, in historia anni MCCCXLVIII. summo perè spiritum elevans propheticum S. Birgittæ, scribit ipsam svasu & instinctu Petri confessoris ac M. Matthiæ, tales sibi finxisse prophetias, revelationesque, quod illi forsitan sentirent, non modo licitum, sed etiam meritorium esse, iis dare operam figmentis, quæ hominum conduceant saluti. Verum anno MCCCLXXIX. in suis Regina Siciliæ literis, & aliis Episcopi Sueciæ, Rexque Albertus ad Urbanum VI. Romæ Pontificem, pro impetranda Divæ apotheosi, transmissis; Sicut etiam Crantzius in sua Metropoli libro IX. Cap. XLVIII. LI, & LII, longè secius de ipsa contestantur; Quos cum Laurentio, ad Divinum ablego tribunal.

Nota

Nota DCXXXVII. Cæterum reliquam Magni, Valdemari, Haquinii & Erici, Albertique historiam, notis temporum & rerum, simul quantum illustraverim & augmentaverim, facile depræhendes Lector, si modò paulisper meam, cum aliorum contuleris Chronologiam. Quod tamen præcipuè beneficium præstisti, controverso Scaniæ negotio; Matrimonio Haquinii cum Elizabetha & Margareta; Magni litigio, cum Erico, Haquinoque filiis; Gotlandiæ, sicut & Oelandiæ per Regem Valdemarum impugnationi; Regis Alberti ad Sueciæ sceptrum promotioni; Magni autem depositioni, captivatio & liberationi; Atque infortunio regis Alberti per Margaretam debellati, simulque illius ad Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ thronum sublimationi, diligentius quam ab aliis sit factum, discribendis.

Nota DCXXXVIII. Nec interea historiam neglexi Ecclesiasticam Sondiæ, cui non parvam faciunt illi sanè injuriam, qui S. Birgittæ tradunt accidisse Romanam hinc peregrinationem anno MCCCLXXVII. Siquidem MCCCLXXIII, Romæ faustum exhalayerit spiritum. Post decennium verò filia mundo valedixit S. Catharina, nempè MCCCLXXXIII. non MCCCLXXXI. ut quidam falso sentiunt.

Nota DCXXXIX. Olaus Gothus lib. 10. cap. 16. memorat, quod nobile maris Baltici emporium Visbycense propter confractum duntaxat vitreæ fenestræ rhombum, tantâ sit clade affectum anno MCCCLXI; ut caput deinceps non potuerit ad pristinum attollere splendorem. Atqui cum porrò modum non exprimat, divinando ipsum, Lectori manifestare nolo.

Nota DCXL. Quo etiam mortis genere, Olaus Haquinii & Margaretae filius, Daniæ Norvegiæque Monarcha, occubuerit, Sondica non satis exprimit historia; Ex varia tamen scriptorum narratione, non obscure licet colligere, haud manifestâ & minus honestâ ipsum morte vitam finivisse, velut præter alios, indicat Lindenbruchius p. 45.

Nota DCXLI. Chronicum Sueciæ narrat, quod Rex Albertus, cum Regina Margareta belligeraturus, Gotlandiam Magistro Crucigerorum in Prussia, anno MCCCLXXXVIII. pro XX. millibus Nobulorum, oppignoraverit. Sed plurimum à vero deviat; Siquidem, ut historia Prutenica, & Danica Huitfeldii, sicut etiam Suetica Crantzii libro. V. Cap. XXXV. & Olaus Gothus libro II. cap. XXIV. confitentur, præfatam Sueciæ insulam anno MCCCXCVIII. ordinis Magistro vendidit aut pignori posuit; Unde liquet quod confusus fit annus MCCCLXXXVIII. cum MCCCXCVIII. & prima Regis Alberti meditatio in Margaretam bellica, cum secunda, pro Sueciæ throno deliberata recuperando.

Nota DCXLII. Huitfeldius, ut per fas nefasque Danis aliquod in Gotlandiam jus acquirat, quodam affirmat scholio, in historia regis Friderici I. p. 103. auro vel argento Danorum, Gotlandiam à Crucigerorum dominio esse redemptam. Quod confutat mendacium, libellus contra Rosefontani conscriptus calumnias p. 148.

Nota DCXLIII. Idem pariter tractatus infaustum illud trium regnum sub Margareta vinculum inchoatum, satis examinat, & reliqua simul dubia ponderat, quæ alias sub meam vocarem modo consuram. Ita etiam mea conscripta est Chronologia, ut quaslibet dissolvens controversies, quæ inter MCD. & MDXX. in aliis occurruunt passim Sondiæ historiis, me novâ liberet molestiâ ipsas ventilandi.

Nota DCXLIV. In eadem longè ordinatus & consumatus, res gestæ omnes Margaretae, Erici Pomerani; Christophori Bavari; Christierni I. Caroli II. Ingelberti; Erici Puchii; Christierni Nicolai; Olai, J-

X² vari

76 CENSURA CHRONOLOGIAE SCONDIANÆ.

vari & Erici, Axelidarum; Joannis, Jacobi & Gustavi Sueticorum Archipræsulum; Johannis & Christierni Regum; Stenonis senioris; Suantonis & Stenonis junioris, ipsa etiam invidiâ teste, describuuntur, quā in aliis Sueciæ, Daniae, & Norvegiæ priscis aut novis Chronologiis.

Nota DCXLV. Proinde cum in iis meis opusculis, quæ initio seculi XVII. modò currentis, Sueticas imitando historias, non paucis refertas erroribus, sicut & Danicas, Norvegicasque, nempè, anno MDCVIII. MDCIX. MDCX. MDCXI. MDCXII. MDCXIII. MDCXIV. MDCXV. & MDCXVI. conscripseram, à veritatis passim semita magnopere exorbitaverim, illorum obsecro Lectorem, ut censoriâ in manus virgulâ, seu potius calamo paulisper assumpto, ea secundum meæ præscriptionem Chronologiae, non gravetur emendare.

Nota DCXLVI. Quintus Chronologiae meæ Tomus, continet historiam Christierni II. Friderici I. Christierni seu Christiani III. & Gustavi I. Scondicorum regum. Plus autem laboris in Gustaviana sustinui conscribenda, quā reliquorum; Siquidem non habui ullum scriptorem, qui ex professo illam prius, quā ego, compilasset, cuius inhærerem vestigiis; Sed integrum primus cogebat elaborare, in qua potissimum compræhenditur, quomodo Gustavus Ericsonius, Danis Sueciâ expulsis, thronum occupaverit; Quomodo Catholicam cum Evangelicâ religionem in ipsa commutaverit; Quomodo rebellionem Dalecarlorum, Vestrogothorum & Smalandorum, mulctaverit; Quomodo illius ope Fridericus I. & Christianus III. Danico sunt Imperio potiti; Quomodo ipsorum & partibus faventium Christierni II. sceptroque inhiantum Suetico, molitiones evaserit; Et quomodo demum Moscho bellum intulerit; liberos non paucos ex bino suscepere conjugio, & his splendidissimè sufficientissime providerit.

Nota DCXLVII. Omnium maximè Tomus VI. & VII. in quibus historia Erici, Friderici, consobrinorum, & Johannis III. proponitur; Sicut & VIII. ubi vita describitur & facinora Sigismundi atque Caroli, me profectò exercuerunt. Quippe in his nullum prorsus habens ductorem, res indagare, ipsas ordinare, & inde historiam concinnare, compellebar, non citrâ sudorem & simul timorem.

Nota DCXLVIII. Porrò quoad historiam regis Erici, occupatur ea in commemorando bello, quod cum Dano, Polono, Vandalorum institutis, Livoniæ inhabitatoribus, velut etiam cum fratre Johanne, & non nullis Procerum, Johanni, velut cognato, occultè, ut sibi persuadebat, faventium. Reliqua verò narrat illius historia, quomodo nunc Anglæ, nunc Scotæ, nunc Lotharingæ, nunc Hessæ, & interea cujusdam domesticæ, matrimonia expetiverit; ac qualiter demum à fratre devictus Johanne, Caroloque, perpetuis fuerit carceribus adjudicatus.

Nota DCXLIX. De Johanne potissimum commemorat Tomus VII. quo pacto bellum in Danos continuaverit, & hoc Stetini sublato, alterum inchoaverit, quod per vitæ residuum contra Moschum gesserat. Item quomodo interea temporis, in negotio religionis domi cum Ecclesiasticis belligeraverit; cum fratre Carolo, & Senatorum quibusdam gravissimas habuerit simultates; ac tandem quomodo ipsem filiusque Sigismundus, Poloniæ affectaverint diadema, & hic illud impetraverit.

Nota DCL. Historiæ quæ Tomo VIII. compræhenditur, nullam facio anacephaleofin, cum adhuc in hominum sit memoria. Quos propterea impense rogatos volo, ut Regum gesta modernorum, benigne recolant; de meis candidè judicent narrationibus; totum Chronologiae opus, cum ejusdem Censurâ, amicè suscipiant & volvant; me vivum, mortuumque ament, & contrâ malevolorum defendant obtrectationes, hisque diutissimè juxta ac felicissimè vivant, valeantque.

Laus sit DEO Trino & Uni sempiterna.

CATALOGUS

Regum, quotquot ab Anno, post Diluvium orbis universale, CXCIII. apud probatos inveniuntur Chronographos, Sueonibus antè Christi Natalem, per intervalla; Sed post continuâ serie dominati, fidelissimus.

I.	Etar, seu Godus.
II.	Ericus I. seu Bericus.
III.	Humelus.
IV.	Thorus.
V.	Urbanus.
VI.	Ostenus.
VII.	Othinus.
VIII.	Froto I. seu Freijerus & Jng.
IX.	Niordus.
X.	Hervitus.
XI.	Sigtrugus.
XII.	Suarinus,
XIII.	Gramus.
XIV.	Suibdagerus.
XV.	Asmundus.
XVI.	Uffo.
XVII.	Huningus.
XVIII.	Regnerus.
XIX.	Hotebrotus.
XX.	Helgo.
XXI.	Atislus I.
XXII.	Hotherus.
XXIII.	Roricus.
XXIV.	Atislus II.
XXV.	Hogmotns
XXVI.	Alricus I.
XXVII.	Ericus II.
XXXVIII.	Haldanus I.
XXIX.	Sivardus I.
XXX.	Ericus III.
XXXI.	Haldanus II.
XXXII.	Unguinus.
XXXIII.	Regnaldus.
XXXIV.	Froto II:
XXXV.	Fiolmus.
XXXVI.	Suercherus I.
XXXVII.	Valanderus.
XXXVIII.	Visburus.
XXXIX.	Domalderus.
XL.	Domarus.
XLI.	Dignerus.
XLII.	Dagerus.
XLIII.	Augnius.
XLIV.	Alricus II.
XLV.	Ingo I.

XLVI.	Hugletus.
XLVII.	Hacho.
XLVIII.	Jorunderus.
XLIX.	Haugne seu Haquinus I.
L.	Egillus.
LI.	Otharus.
LII.	Adelus.
LIII.	Ostanus.
LIV.	Jnguardus.
LV.	Amundus I.
LVI.	Sivardus II.
LVII.	Herotus.
LVIII.	Jngellus.
LIX.	Carolus.
LX.	Bero seu Biornus.
LXI.	Anundus I.
LXII.	Olaus I.
LXIII.	Jngo II.
LXIV.	Ericus IV.
LXV.	Emundus I.
LXVI.	Ericus V.
LXVII.	Olaus II.
LXVIII.	Anundus II. seu Jacobus.
LXIX.	Emundus II.
LXX.	Stenhillus.
LXXI.	Ericus VI.
LXXII.	Amundus II.
LXXIII.	Halstanus,
LXXIV.	Haquinus II.
LXXV.	Jngo III.
LXXVI.	Sueno.
LXXVII.	Philippus.
LXXVIII.	Jngo IV.
LXXIX.	Ragvaldus.
LXXX.	Magnus I.
LXXXI.	Suercherus II.
LXXXII.	S. Ericus VII.
LXXXIII.	Carolus. I.
LXXXIV.	Canutus.
LXXXV.	Suercherus III.
LXXXVI.	Ericus VIII.
LXXXVII.	Johannes I.
LXXXVIII.	Ericus IX.
LXXXIX.	Vàldemarus.
XC.	Magnus II.
XCI.	Birgerus.
XCII.	Magnus III.
XCIII.	Ericus.
XCIV.	Albertus.
XCV.	Margareta.
XCVI.	Ericus X.
XCVII.	Christophorus.

- XCVIII. Carolus II.
 XCIX. Christiernus I.
 C. Steno I.
 CI. Johannes II.
 CII. Suanto.
 CIII. Steno II.
 CIV. Christiernus II.
 CV. Gustavus I.
 CVI. Ericus XI.
 CVII. Johannes III.
 CVIII. Sigismundus I.
 CIX. Carolus III.
 CX. Gustavus II.

CATALOGUS

Omnium Regum, qui ab ultimo ante generis humani redemptionem seculo, usque MDCXX. Christi annum, in Dania regnabant, propemodum integerrimus.

I.	D	An I.
II.		Humblus.
III.		Lotherus.
IV.		Balderus.
V.		Othinus.
VI.		Schioldus.
VII.		Froto I.
VIII.		Gramus.
IX.		Suibdagerus.
X.		Guttormus.
XI.		Hadingus.
XII.		Froto II.
XIII.		Haldanus I.
XIV.		Roë.
XV.		Hotebrotus.
XVI.		Helgo.
XVII.		Rolpho.
XVIII.		Hacho.
XIX.		Hotherus.
XX.		Roricus.
XXI.		Horvendillus.
XXII.		Feugo.
XXIII.		Ambletus.
XXIV.		Violetus.
XXV.		Vermundus.
XXVI.		Uffo.
XXVII.		Dan II.
XXVIII.		Hugletus.
XXIX.		Froto III.
XXX.		Dan III.
XXXI.		Fridlevus I.
XXXII.		Froto IV.
XXXIII.		Hiarno.

XXXIV.	Fridlevus II.
XXXV.	Froto V.
XXXVI.	Ingellus.
XXXVII.	Olaus I.
XXXVIII.	Haraldus I.
XXXIX.	Froto VI.
XL.	Haldanus II.
XLI.	Haraldus II.
XLII.	Ungvinus.
XLIII.	Sivaldus I.
XLIV.	Sigarus.
XLV.	Sivaldus II.
XLVI.	Arturus &c.
XLVII.	Haldanus III.
XLVIII.	Haraldus III.
XLIX.	Haquinus.
L.	Olo.
LI.	Omundus.
LII.	Sivardus I.
LIII.	Buthus.
LIV.	Jarmericus.
LV.	Broderus.
LVI.	Sivardus II.
LVII.	Snio.
LVIII.	Biornus.
LIX.	Haraldus IV.
LX.	Gormo I.
LXI.	Getricus.
LXII.	Olaus I.
LXIII.	Henningus.
LXIV,	Sivardus III.
LXV.	Regnerus.
LXVI.	Haraldus V.
LXVII.	Sivardus IV.
LXVIII.	Ericus I.
LXIX.	Ericus II,
LXX.	Helgo II.
LXXI.	Olaus II.
LXXII.	Ennignupus.
LXXIII.	Sivardus V.
LXXIV.	Ericus III.
LXXV.	Canutus I.
LXXVI.	Sueno I.
LXXVII.	Froto VII.
LXXVIII.	Gormo II.
LXXIX.	Haraldus. VI.
LXXX.	Sueno II.
LXXXI.	Ericus IV.
LXXXII.	Olaus III.
LXXXIII.	Canutus II.
LXXXIV.	Canutus III.
LXXXV.	Magnus,

LXXXVI.	Sueno III.
LXXXVII.	Haraldus VII.
LXXXVIII.	S. Canutus IV.
LXXXIX.	Olaus IV.
XC.	Ericus V.
XCI.	Nicolaus.
XCII.	Ericus VI.
XCIII.	Ericus VII.
XCIV.	Sueno IV.
XCV.	Canutus V.
XCVI.	Valdemarus I.
XCVII.	Canutus VI.
XCVIII.	Valdemarus II.
XCIX.	Valdemarus III.
C.	Ericus VIII.
CI.	Abel.
CII.	Christophorus I.
CIII.	Ericus IX.
CIV.	Ericus X.
CV.	Christophorus II.
CVI.	Valdemarus IV.
CVII.	Valdemarus V.
CVIII.	Olaus V.
CIX.	Margareta.
CX.	Ericus XI.
CXI.	Christophorus III.
CXII.	Christiernus I.
CXIII.	Johannes.
CXIV.	Christiernus II.
CXV.	Fridericus I.
CXVI.	Christianus III.
CXVII.	Fridericus II.
CXVIII.	Christianus IV.

CATALOGUS

Regum, Norvegis à proximo antè Christum seculo, per
XVI. indē sequentia, gloriose dominantium.

I.	N	Orus.
II.		Gorus.
III.		Geiterus.
IV.		Ostenus I.
V.		Othinus.
VI.		Hemingus.
VII.		Froto seu Freijerūs.
VIII.		Suibdagerus.
IX.		Asmundus I.
X.		Uffo.
XI.		Hadingus.
XII.		Haquinus I.
XIII.		Gevarus.
XIV.		Herletus,

XV.	Geritus.
XVI.	Collerus.
XVII.	Frogerus.
XVIII.	Rusla I.
XIX.	Goterus.
XX.	Rollerus.
XXI.	Asmundus II.
XXII.	Vicarus.
XXIII.	Helgo.
XXIV.	Hatherus.
XXV.	Amundus.
XXVI.	Hacho.
XXVII.	Lothus.
XXVIII.	Regnaldus.
XXIX.	Gunnarus.
XXX.	Hildegerus.
XXXI.	Olaus I.
XXXII.	Sivardus I.
XXXIII.	Ring.
XXXIV.	Omundus.
XXXV.	Trondo.
XXXVI.	Rusla II.
XXXVII.	Gotho.
XXXVIII.	Sivardus II.
XXXIX.	Sivardus III
XL.	Regnerus.
XLI.	Biorus.
XLII.	Haldanus.
XLIII.	Ostenus II.
XLIV.	Haldanus II.
XLV.	Gudrotus.
XLVI.	Olaus II.
XLVII.	Haldanus III.
XLVIII.	Haraldus I.
XLIX.	Ericus I.
L.	Haquinus II.
LI.	Haraldus II.
LII.	Haraldus III.
LIII.	Haquinus III.
LIV.	Ericus II.
LV.	Olaus III.
LVI.	Sueno I.
LVII.	Olaus IV.
LVIII.	Ericus III.
LIX.	Sueno II.
LX.	Haquinus IV.
LXI.	S. Olaus V.
LXII.	Canutus.
LXIII.	Haquinus V.
LXIV.	Sueno III.
LXV.	Magnus I.
LXVI.	Haraldus IV.

LXVII.	Magnus II.
LXVIII.	Olaus VI.
LXIX.	Haquinus. VI.
LXX.	Magnus III.
LXXI.	Ostenus III.
LXXII.	Sivardus IV.
LXXIII.	Magnus IV.
LXXIV.	Haraldus V.
LXXV.	Jngo I.
LXXVI.	Sivardus V.
LXXVII.	Ostenus IV.
LXXVIII.	Haquinus VII.
LXXIX.	Magnus V.
LXXX.	Sivardus VI.
LXXXI.	Ostenus V.
LXXXII.	Suerro.
LXXXIII.	Sivardus VII.
LXXXIV.	Jngo II.
LXXXV.	Haquinus VIII.
LXXXVI.	Gutormus.
LXXXVII.	Jngo III.
LXXXVIII.	Haquinus IX.
LXXXIX.	Schulerus.
XC.	Haquinus X.
XCI.	Magnus VI.
XCII.	Ericus IV.
XCIII.	Haquinus XI.
XCIV.	Magnus VII.
XCV.	Haquinus XII.
XCVI.	Olaus VII.
XCVII.	Margareta.
XCVIII.	Ericus V.
XCIX.	Christophorus.
C.	Carolus.
CI.	Christiernus I.
CII.	Johannes.
CIII.	Christiernus II.
CIV.	Fridericus I.
CV.	Christianus III.
CVI.	Fridericus II.
CVII.	Christianus IV.

CATALOGUS.

Autorum, tām prisorum, quām Neutericorum, Externorum & internorum; qui Scondicas hactenus scripserunt historias, totas vel eārum partes, ligatā vel solutā oratione; Latinē, Germanicē aut Scondicē, Romano vel Rhunico, Literarum cāractere; typis aut calamis solum exaratas.

Et quorum plerisque ego, prāter alia vetustatis documenta, quām plurima, in meo sum Chronicorum syntagmate, usus compilando, eorumqne hāc sunt nomina.

I.	Orunderus Schalmer.
II.	Joculius Bardersonius.
III.	Ottarus.
IV.	Gissurus.
V.	Siguaterus.
VI.	Torderus.
VII.	Thorarinus.
VIII.	Baulvercherus,
IX.	Arius Torgilsonius.
X.	Bryniolphus.
XI.	Eynarus Schulasonius.
XII.	Bersius Jarl.
XIII.	Gilbrandus
XIV.	Guttormus.
XV.	Steno Scheptisonius.
XVI.	Suivardus.
XVII.	Tormodius.
XVIII.	Jdaciū floruit A. Christi, CD.
XIX.	Ablabius, DLX.
XX.	Jorñandes, DLXIV.
XXI.	Thiodulphus Frode, circā DCCCCXX.
XXII.	Evinderus Schallassteller, DCCCCLXXX.
XXIII.	Jslevus Episcopus, MLXV.
XXIV.	M. Adamus, MLXXII.
XXV.	Saxo Grammaticus, MCXCII.
XXVI.	Carolus Jonæ, Abbas, MCXCV.
XXVII.	Arvidus, Episcopus, MCCLXIII.
XXVIII.	Euphemia Norveg. Regina, MCCCHI.
XXIX.	Nicolaus Ragvaldius, MCDXXXIV.
XXX.	Laurentius Arofiens, circā MCDLXXXI.

His accedunt Scondiæ Breviaria multis referta historiis, & prāsertim Ecclesiasticis.

XXXI.	Breviarium Lincopense, MCDXCIII.
XXXII.	Breviarium Stregnense, MCDXCV.
XXXIII.	Breviarium Scarense, MCDXCVIII.
XXXIV.	Anonymus Saxonis Translator & continuator, circā MCDXCIX.

XXXV.

- XXXV. Ericus Upsalensis, MD. circiter.
 XXXVI. Albertus Crantzius, MDIV.
 XXXVII. Hemingus Gaddius, MDV.
 XXXVIII. Breviarium Nidrosiense, MDIX.
 XXXIX. Breviarium Arosiense, MDXIII.
 XL. Breviarium Upsalense.
 XLI. Anna Bilow, antistes Vast. MDXVI.
 XLII. Johannes Brascius, MDXXII.
 XLIII. Cornelius Scepperus, MDXXV.
 XLIV. Christianus Petrius, MDXXVII.
 XLV. Jacobus Ziglerus, MDXXX.
 XLVI. M. Olaus Petersonius, MDXXXV.
 XLVII. Achilles Gassarus, MDXXXVIII.
 XLVIII. Johannes Gothus, MDLIV.
 XLIX. Olaus Gothus, MDLV.
 L. M. Laurentius Pedersonius, MDLVI.
 LI. Georgius Gylius, circà MDLIX.
 LII. Petrus Rosefontanus, MDLX.
 LIII. Petrus Andersonius, MDLXI.
 LIV. Henricus Mollerus, MDLXIII.
 LV. Martinus Helsingus, MDLXV.
 LVI. Erasmus Lætus, MDLXVI.
 LVII. Christianus Cilicius, MDLXIX.
 LVIII. Conradus Egenberger, MDLXXI.
 LIX. Henricus Rantzovius, MDLXXII.
 LX. Petrus Brahe Comes, circà MDLXXIII.
 LXI. Eneas Vitus, MDLXXV.
 LXII. Olaus Luth, circà MDLXXVIII.
 LXIII. Andreas Velleius, MDLXXIX.
 LXIV. Ericus Falchius, MDLXXXII.
 LXV. Jacobus Gilonius, MDLXXXIII.
 LXVI. Erasmus Ludovicus, circà MDLXXXIV.
 LXVII. Ericus Schinnerus, MDLXXXV.
 LXVIII. M. Abrahamus, MDLXXXVIII.
 LXIX. Sueno Elfsonius, MDLXXXIX.
 LXX. Petrus Lindenbergius, MDXCII.
 LXXI. Olaus Claudius, MDXCII.
 LXXII. David Chytræus, MDXCIII.
 LXXIII. Casparus Ens, eodem.
 LXXIV. Jonas Coldingensis, MDXCIV.
 LXXV. Erpoldus Lindenbruch, MDXCV.
 LXXVI. Haraldus Huitfeldius, eodem.
 LXXVII. Christophorus Sturcius, MDXCVII.
 LXXVIII. Fabianus Quadrantinus, MDXCIX.
 LXXIX. Magnus Lundensis, circà MDC.
 LXXX. Jacobus Typotius, MDV.
 LXXXI. Laurentius Boierus, MDCVI.
 MXXXII. Johannes Vastovius, MDCVII.
 LXXXIII. Antonius Possevinus, MDCVIII.
 LXXXIV. Daniel Hansoni, MDCIX.
 LXXXV. Olaus Suercherius, MDCX.

CENSURA CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ.

LXXXVI.	Ditmarus Blefchenius, MDCXI.
LXXXVII.	Daniel Jort, eodem.
LXXXVIII.	Matthias Schaumius, MDCXIV.
LXXXIX.	Petrus Petræus, eodem.
XC.	Arngrimus Jonas, eodem.
XCI.	Ericus Georgius.
XCII.	Sigfridus Aronus Forssius, MDCXV.
XCIII.	Johannes Messenius.

Porro sequentia ego conscripsi Opuscula:

I.	Anno MDCII. Genealogiam Regis Sigismundi.
II.	Item Anno MDCVIII. Caroli Regis.
III.	Amphitheatrum Sueonum Gothorumque Regum, distichis illustratum.
IV.	Sueopentapropolin, seu Exegesin de quinque primariis Sv. Goth. emporiis.
V.	Tumbas veterum, apud Sueon. Gothosque, Regum, Ducum, & Heroum.
VI.	Chronicon Episcoporum per Sueciam Gothiam & Finlandiam.
VII.	Specula Suecorum Gothorumque.
VIII.	Retorsionem adversus Petrum Parvum Rosefontanum.
IX.	Theatrum Nobilitatis Suecanæ.

Item SCONDIAM ILLUSTRATAM Tomis XX.

comprehensam, ex quibus continet,

X.	Tomus I. Chronologiam Scondianam à mundi eluvio, usque ann. Salut. MCL.
XI.	Tomus II. Itidem ab anno MCL. ad MCCCXX.
XII.	Tomus III. - ab anno MCCCXX. ad MCDXLVIII.
XIII.	Tomus IV. - ab anno MCDXLVIII. usq; MDXX.
XIV.	Tomus V. Historiam Gustavi I. Regis, ab anno MDXX. ad MDLX.
XV.	Tomus VI. Historiam Erici Regis ab anno MDLX. ad MDLXVIII.
XVI.	Tomus VII. Historiam Johannis Regis, ab anno Christi MDLXVIII. ad MDXCII.
XVII.	Tomus VIII. Histor. Sigismundi & Caroli Reg. ab anno Christi MDXCII. ad MDCXII.
XVIII.	Tomus IX. Historiam Sanctorum & Præfulum.
XIX.	Tomus X. Chronologiam Finlandiæ, Livoniæ & Curlandiæ.
XX.	Tomus XI. Apologiam Historiæ Suecanæ, seu Analectorum Scondicor. Libr. I. ab anno Mundii MDCLVI. ad salutis DCCC.
XXI.	Tomus XII. Itidem Libr. II. ab anno Christi DCCC. usque MCDXLVIII.
XXII.	Tomus XIII. Censuram de Historia Scondiæ.
XXIII.	Tomus XIV. Historiam Ostrogothorum in Scondia & in Hispania.
XXIV.	Tomus XV. Epitomen Chronologiæ Scondianæ.

XXV.

- XXV. Tomus XVI. Theatrum Nobilitatis Suecanæ renovatum.
 XXVI. Tomus XVII. Paralipomena tomorum XII. cum Chronologiæ continuatione, usque annum MDCXXXVII.
 XXVII. Tomus XVIII. Tumbas prælustrium in Scondia hominum renovatas.
 XXVIII. Tomus XIX. Monumenta Scondiotica in primariis Sueciæ locis erigenda.
 XXIX. Tomus XX. Miscellanea poëtica.
 XXX. Item Chronogiam rerum à S. Birgitta quondam in Suecia & Italia gestarum.

Item Comœdias Regni historicas, VI. nempe,

- XXXI. Disam.
 XXXII. Suanhvitam.
 XXXIII. Signilem.
 XXXIV. Christmannum.
 XXXV. Blancomeretam.
 XXXVI. Gustavum.

Volumina etiam Veterum quorundam, non edita prius scriptorum nostratum, publicavi ex Typographiâ, probè emendata, videlicet;

- Chronicon Erici Upsalensis.*
Item Laurentii Arosiensis.
Item M. Adami Bremensis.
Item Anonymum cuiusdam veteris.
Codicem juris Suetici latinum.

Et alia non pauca, tām propria, quām aliena, divulgavi, & longè plura sub incude habeo, quæ temporis progressu, tecum Lector, communicabo; Intereā fruere præsentibus, & si horum fueris candidus æstimator, meique amator, quām bellissimè vale.

ANNO M. DC. XXXI.



100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
999
1000